39183/B
A.XXXI.c

24927

Had. 773
23/6/10

PRAECEPTA MEDICINAE PRACTICAE IN USUM ACADEMICUM DIGESTA

A

N. G. OOSTERDYK,
JOANN. FIL.

LUGDUNI BATAVORUM,
APUD ABRAHAMUM ET JANUM HONKOOP,
MDCCLXXXIII.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

AUDITORES OPTIMI!

Ecce tandem haec cognoſcendi curandique morbos praecepta, commodioris uſus cauſâ, typis expreſſa. In primis & recitandi & calamo excipiendi taedium eorum ad editionem mihi, ceteroquin ab eâ alieniori, perſuaſit. Piae memoriae Gaubium, *Parentemque honoratiſſimum & ſtudendi & erudiendi Duces aperté teſtantur: Horum intaminatâ doctrinâ medicâ Vos olim curaturos imbuere in*

votis eſt; quod ſi, qualicunque hoc opuſculo ejusque interpretatione, promovere ulterius licuerit, mihi quidem (nec enim aliud quid molior,) abunde ſatis. Valete!

* * *
* *
*

OPE-

OPERIS CONSPECTUS.

Prolegomena. pag. 1

Morbi communes univerſales.

Cap. I.	De febre.	7
II.	De inflammatione.	23
III.	De febre continuâ.	28
IV.	De febre ephemerâ benignâ.	31
V.	De febre putridâ.	33
VI.	De febre bilioſâ.	35
VII.	De febre inflammatoriâ.	38
VIII.	De febre hecticâ.	41
IX.	De febre ſcarlatinâ.	43
X.	De febre miliari & purpurâ.	44
XI.	De morbillis.	47
XII.	De variolis.	50
XIII.	De peſte.	58
XIV.	De febre intermittente.	61
XV.	De nonnullis febrium intermittentium ſpeciebus.	65
XVI.	De ſcorbuto.	67
XVII.	De rheumatismo.	70
XVIII.	De arthritide & podagrâ.	73
XIX.	De arthritide vel podagrâ retropulſâ.	76
XX.	De dolore iſchiadico (*).	78

Mor-

(*) Huc ob affinitatem cum praegreſſis relato: nulla nempe morborum datur diſtributio, quae non aliquâ laboret difficultate.

Morbi communes particulares.

Cap.		pag.
XXI.	De cephalalgiâ.	79
XXII.	De phrenitide.	82
XXIII.	De maniâ.	85
XXIV.	De melancholiâ.	87
XXV.	De convulſionibus.	92
XXVI.	De melancholiâ nervoſâ & hyſterico morbo.	95
XXVII.	De epilepſiâ.	98
XXVIII.	De hydrophobiâ.	101
XXIX.	De catalepſi.	104
XXX.	De incubo.	106
XXXI.	De morbis ſoporoſis.	108
XXXII.	De apoplexiâ	110
XXXIII.	De comate vigili.	115
XXXIV.	De paralyſi.	116
XXXV.	De amauroſi.	120
XXXVI.	De ophthalmiâ.	122
XXXVII.	De narium haemorrhagiâ.	125
XXXVIII.	De aphthis.	129
XXXIX.	De anginâ.	133
XL.	De morbis oeſophagi.	140
XLI.	De aſthmate.	143
XLII.	De pleuritide.	147
XLIII.	De peripneumoniâ.	152
XLIV.	De vomicâ pulmonis.	156
XLV.	De haemoptöe.	158
XLVI.	De phthiſi pulmonali.	161
XLVII.	De diaphragmatis inflammatione.	165

Cap.		pag.
XLVIII.	De empyemate.	167
XLIX.	De ſyncope.	170
L.	De palpitatione cordis.	173
LI.	De aneurysmate cordis & majorum vaſorum.	175
LII.	De polypo cordis & majorum vaſorum.	177
LIII.	De hydrope pectoris.	180
LIV.	De hepatitide.	181
LV.	De ictero.	185
LVI.	De hydrope.	189
LVII.	De ventriculi inflammatione.	194
LVIII.	De nauſeâ & vomitu.	196
LIX.	De ſingultu.	200
LX.	De colicâ.	202
LXI.	De paſſione iliacâ.	207
LXII.	De lienteriâ.	209
LXIII.	De fluore coeliaco.	210
LXIV.	De diarrhoeâ.	211
LXV.	De cholerâ.	215
LXVI.	De dyſenteriâ.	217
LXVII.	De lumbricis.	220
LXVIII.	De haemorrhoïdibus.	224
LXIX.	De teneſmo.	225
LXX.	De nephritide.	228
LXXI.	De nephritide calculoſâ.	231
LXXII.	De calculo veſicae urinariae.	234
LXXIII.	De ulcere renum & veſicae.	238
LXXIV.	De mictu cruento.	240
LXXV.	De dyſuriâ & ſtranguriâ.	241

Cap.		pag.
LXXVI.	De iſchuriâ ſpuriâ.	243
LXXVII.	De iſchuriâ verâ.	246
LXXVIII.	De urinae incontinentiâ.	249
LXXIX.	De diabete.	251
LXXX.	De gonorrhoeâ ſimplici.	253
LXXXI.	De lue revereâ.	255

Morbi proprii ſexus ſequioris.

LXXXII.	De vitiis excretionis menſtruae.	264
LXXXIII.	De morbis gravidarum.	267
LXXXIV.	De morbis parturientium.	272
LXXXV.	De morbis puerperarum.	275
LXXXVI.	De morbis vetularum.	281

Morbi proprii infantum.

LXXXVII.	De retentis foecibus, pituitâ, acido, atrophiâ & dentitione difficili.	283
LXXXVIII.	De hydrocephalo.	285
LXXXIX.	De rachitide.	289

PRO-

PROLEGOMENA.

§. 1.

Medicina docet ſanitatem hominis integram conſervare, labefactatam reſtituere.

2. Commode diſtinguitur in binas partes; prima verſatur circa ſanitatem integram, altera circa ſanitatem labefactatam. Cum Cl. *Gaubio* illam vocabimus ὑγιεινὴν hanc vero ἰατρικὴν.

3. Ὑγιεινὴ docet conditionem hominis ſani quoad cauſam, ſigna & effectus cognoſcere & conſervare, diciturque prior ὑγιεινῆς pars *phyſiologia*, altera *phyſiologica ſemeiotice* ſive doctrina ſignorum ſanitatis, dum tertia

tia, quae *diaetetica* dicitur, cogni-tam ſanitatem conſervare docet.

4. Ιατρικὴ, quae verſatur circa ſanitatem labefactatam, vel morbos exponit eorumque naturam, differentias, cauſas & effecta, quae quidem pars dicitur *pathologia*; vel tradit ſigna, ex quibus, quicquid in morbo minus clare patet, detegimus, vocatur haec altera ἰατρικῆς pars *ſemeiotice pathologica*, dum tertia, quae morborum remedia & modum illis utendi pertractat *therapeutica* vocatur.

5. Therapeutica itaque eſt illa pars ἰατρικῆς, quae agit de praeſidiis adverſae valetudinis & modo illis bene utendi.

6. Therapeutica dividitur in generalem & ſpecialem. Illa tradit regulas, quae ad morboſam hominis aegri conditionem in genere conſideratam reſpectum habent. Haec vero mor-

morbos ſingulos ſibi curandos proponit, & in admovendis remediis contra ſingulos hoſce verſatur.

7. Facile autem patet omnes haſce medicinae partes revera mutuo nexu inter ſeſe cohaerere, alteramque ab alterâ auxilia mutuari.

8. Atque hiſce nititur, quam vocamus praxin medicam, quae in uſum ſuum tantum ex ὑγιεινῇ & ἰατρικῇ convertit, quantum ſibi ſatis eſt ad ſanitatem conſervandam vel curandum hunc illumve, qui prae manibus eſt, morbum.

9. Eſt ergo praxis medica ipſum medicinae exercitium, quod praeſentem in privo corpore ſanitatem vel morbum detegit, cognitam illam conſervat, hunc autem vel temperat, vel penitus profligat.

10. Morbus eſt illa corporis hu-

mani viventis conditio, quâ ſit, ut actiones homini propriae rite exerceri non poſſint.

11. Cognoſcitur ex indagatione ſymptomatum & cauſarum.

12. Symptoma morbi eſt alienatio quaevis ſenſibilis a ſtatu naturali naſcens ob morbum, ita tamen, ut ab hoc ejusque cauſa diſtinguatur, nec ultra morbum duret.

13. In examine ſymptomatum, ad eruendam illorum ope morbi cognitionem, oportet attendere 1. ad qualitates ſenſibiles alienatas 2. ad excretorum vitia 3. ad actiones laeſas, quorſum referuntur ſenſationes moleſtae; exercitationes laeſae ſenſuum externorum & internorum; motricis facultatis ſymptomata; ſomni affectiones; motuum vitalium ſymptomata; dein actionum naturalium, tandem functionum ſexus.

14. Ut vero ex hacce ſymptomatum cognitione aliquis profluat uſus ad cognoſcendum morbum, oportet ea comparare cum phaenomenis, quae in homine ſano obſervari conſueverunt, tum etiam cum illis monumentis, quae Obſervatorum induſtria nobis reliquit.

15. Nec ſola tamen ſymptomatum indagatio ſufficit, ad cognoſcendum morbum, oportet etiam cauſas perſcrutari, quod quidem ut in hunc uſum fiat, ſufficiet animum applicuiſſe ad illam diviſionem cauſarum, quâ in procatarcticas & proegumenas diſpeſcuntur a Pathologis.

16. Circa eas ita verſatur medicus, ut earum in C. H. efficaciam indaget & comparet cum ſymptomatibus quae in aegro ſuo obſervat, quae ſi inter ſe congruant, ſponte patet, quid anſam morbo dederit, & qualisnam ipſius morbi inde excitati ſit conditio.

17. Vidimus autem Praxeos medicae inſignem partem conſiſtere non ſolum in cognoſcendo morbo, ſed & in temperando illo vel profligando.

18. Curantur autem morbi 1. tollendo cauſas, quas vulgo remotas vocant. 2. amovendo conditionem morboſam a cauſis productam, vulgo cauſam proximam. 3. abigendo omnia ſymptomata.

19. In hiſce lectionibus ad ſolos morbos internos nos determinaturi morbos diſtinguemus in Communes & Proprios; Communes, in Univerſales & Particulares; Proprios vero in morbos Sexus & Infantiles ulterius diviſuri (*).

(*) Conf. ad haec & reliqua quae ſequentur omnia, Cl. GAUB. *inſt. pathol. medicin.* & aeſtumatiſſimi Patris J. OOSTERDYK SCHACHT *inſt. med. pract.* ex quibus multa admodum, nonnulla etiam integre huc translata legetis.

MORBI COMMUNES UNIVERSALES.

CAPUT I.

De Febre.

§. 1.

Febris eſt illa conditio, quâ pulſus vi potentiae nocentis intra datum temporis ſpatium frequentior eſt.

2. Praeter ſymptoma jam in definitione obvium, alia praeterea

ſunt, eaque vel conſtantius obſervantur, vel minus conſtanter: Conſtantius, licet non abſque exceptione, obſervantur horror, calor ſiccus qui in humidum mutatur; ſequuntur quae differunt ſaepius, ut pallor, rubor, lingua ſordida, exanthemata, aphthae, diarrhoea, dyſenteria, vomitus, dolor oſſifragus lumborum extremitatumque, delirium, convulſio, vigiliae, ſopor, appetitus proſtratus, pulſus tenſus, contractus, durus, parvus & quae plura alia.

3. Febrium indoles quaerenda eſt in aucta pulſus celeritate, atque adeo frequentiori cordis arteriarumque contractione, ſive illa derivanda ſit a frequentiori influxu ſanguinis in vaſa & cava cordis, ſive a cordis arteriarumque irritabilitate.

4. Cauſae febres provocantes ſunt ſeminia, quae & praediſponentes ſeu

προη-

προηγȣμέναι dicuntur & potentiae nocentes ſive προκατάρκτικαι. Ad priores referuntur ſolida teneriora, faciles in ſyſtemate nervoſo turbae, morbi numero multi. Ad poſteriores aëris vitia omnia, cibi potuumque quantitas & qualitas vitiata, acriora remedia & venena ſive admota ſive ingeſta, motus auctus, animi pathemata, vigiliae protractae, imo & ſomnus excedens, excernenda retenta, excreta quae retineri debebant, extraneorum immenſa ſeries, in quibus injuriae quaevis notabiles corpori illatae.

5. Quod ad prognoſin febrium attinet; febris aliquando aliorum morborum cauſſa eſt; aliquando eorum medela febre obtinetur; in ſanitatem frequenter, ſed & frequenter in mortem terminatur.

6. Ad curam febrium cogimur tollere cauſas febris remotas; amo-

vere conditionem morboſam per illas productam; mitigare ſymptomata.

7. Remedia, quae binis prioribus indicationibus ſatisfaciunt ſunt vel evacuantia vel corrigentia vel temperantia, quae vero tertiae pro diverſo ſymptomate diverſa ſunt, nec adcerta redvci poſſunt capita.

8. Evacuantia ſunt V. S. purgantia ἄνω & κάτω, ſudorifera, diuretica, ulcera arte excitata. Corrigentia vel emendant acrimoniam vel viſciditatem. Temperantia depravato motui eunt obviam. Corrigunt acrimoniam & viſciditatem diluentia, amaricantia, ſalina, ſaponacea, terreſtria. Temperant vero motum antiſpasmodica, anodyna & certis ſaltem in caſibus opiata.

9. Nec vero negligenda eſt res alimentaria; praeſtant in febre liquida

da prae ſolidis; neceſſe quoque eſt, aliquâ vi gaudeant medicâ; dari debent, ſi fieri poteſt, ubi minime vehemens febris eſt; copia parca ſit & repetita potius, eoque repetita ſaepius, quo validior febris ſit, & videatur fore protractior.

10. Non autem judicandum eſt, ac ſi hiſce remediis ſemper in febre foret opus, ſaepe natura ſibi ſufficit, ad ejus molimina attendere medicum oportet. Maximum artificium eſt, determinare gradum motus febrilis, qui ſi nimius eſt compeſci, ſi langueat excitari antea traditis remediis debet.

11. Atque ita vidimus, quâ ratione in curâ febrium primae & ſecundae indicationi fiat ſatis, ſupereſt ſola tertia; jubet haec mitigare aut profligare febrilia ſymptomata. Haec vero cum diverſa ſint, diverſam poſtulant medelam, atque adeo prae-

ci-

cipua & maxime frequentia merentur propius examinari, quod & uſui erit in multis aliis morbis, in quibus eadem obvia.

12. Occurrunt hic inprimis calor, ſudor, dolor, anxietas, debilitas, pervigilium, ſitis.

13. Calor derivandus ab aucto inter ſolida & fluida viva attritu, vel a perverſo temperamento partium fluida componentium; hujus quidem cauſſa & cura non ſatis, niſi ex ſpeciali morborum hiſtoria intelligi poteſt.

14. Tribuendum interim febrile illud ſymptoma vitio vel ſanguinis vel vaſorum.

15. Sanguis peccat denſitate, acrimonia vel velocitate.

16. Denſiorem ſanguinem in cauſſa caloris eſſe novimus, ex abſen-

ſentia ceterarum cauſſarum, ex duritie pulſus, ex ſanguine educto, ex cauſſis praegreſſis.

17. Emendanda haec caloris ſpecies amovendo cauſſas praegreſſas; reſolventibusque remediis.

18. Acrimoniam ſanguinis pro cauſſâ habemus ex partium pruritu, doloribus, eroſione, puſtulis, ulceribus calori junctis, tum ex cauſſis praegreſſis.

19. Haec caloris ſpecies emendatur tollendo cauſſas acrimoniae praegreſſas, tum involvendo, corrigendo vel expellendo acre.

20. Velocitatem ſanguinis judicamus eſſe cauſam augmenti caloris ex praegreſſis irritationibus vitae plerumque ſimul ſenſilioris, ex pulſu celeri & magno, ex reſpiratione celeri profundâ, abſentibus ſignis ceteris cauſſarum aliarum.

21. Tollitur haec caloris ſpecies tollendo cauſſas velocitatis; commendari hic debet, quies animi & corporis, V. S. diluentia, antiſpaſmodica, balnea, ſed ſummo cum moderamine adhibita.

22. Sed & oritur augmentum caloris, vaſis vitio, & quidem ab auctâ ejus reſiſtentiâ, addito augmento elaſticitatis, vel a nimiâ ejus ad irritamentum ſenſilitate.

23. Auctam cum elaſticitate reſiſtentiam vaſorum conjicimus, ex ſignis fibrae fortis rigidaeque, quae in doctrina ſignorum ſanitatis generalis & ſingularis traduntur.

24. Mitigatur haec caloris ſpecies, aquoſis, calidis, oleoſis, blandis, iisque vel intus vel extus exhibitis, quae tamen oleoſâ cum in febre tuto non dentur, emulſis hîc potiſſimum locus eſt.

25. Senſilitatem ſolidorum nimiam atque inde enatum calorem ſuſpicamur; ex aetate juniori, vitae genere lauto ſine exercitio, vel contra regimine ſtrictiori, meticuloſo, ex animi facile mobilis pathemate frequenti.

26. Haec caloris ſpecies tollitur iisdem illis antispaſmodicis quae ſupra adverſus ſanguinis velocitatem, rarius in febre ſine hac ſolidorum affectione increſcentem, laudavimus.

27. Sudor aliud ſymptoma febribus familiare iterum tribuendus eſt vel vitio vaſorum vel fluidi contenti.

28. Vaſorum vitium ſudorem excitans eſt ſpiraculorum cutaneorum laxitas.

29. Cognoſcitur ſatis facile ex molli & multum jam fracto corporis habitu. Curatur roborantibus & ad-

adſtringentibus extus admotis, frictionibusque, non tamen niſi prudentiſſimo cum regimine ob metum repulſionis.

30. Si fluidorum vitio debetur ſudor, tribuendus ille eſt diſſolutioni ſanguinis, vel aquoſae materiae in eodem abundantiae. Cura pro diverſitate cauſſarum diverſa.

31. Juncto etiam & ſolidorum & fluidi vitio debetur ſudor, cum in motu error eſt, vel aucto, vel praeter naturam ad poros cutaneos directo.

32. Motum circulatorium auctum prudens refrigerantium uſus; aliorſum directum reſtituta ſuppreſſa excretio reſtituit.

33. Dolor eſt praeſentis mali triſtis ſenſatio, quam ita percipit mens, ut eam ſemper ad aliquam partem corporis referat.

34. Nempe mutatio violenta partium in corpore ſenſilium vel ſenſorii communis vim illis inferens ingratam hanc mentis adfectionem provocat.

35. Quicquid ergo nervos vexat vel ſenſorium commune mutat ita, ut mens inde afficiatur moleſte, pro cauſſâ doloris haberi debet.

36. Differunt dolores inter ſe, alius eſt tenſivus, alius gravativus eſt, ardens, rodens, pungens, mordax, pruriens, oſſifragus, lancinans, acer, preſſorius, mordax, & quae aliae ab Auctoribus memorantur differentiae.

37. Curatur dolor tollendo vel doloris cauſſam vel ſenſum. Prius ſi fiat ſemper fit poſterius, non contra.

38. Corporea quidem affectio lenitur

tur laxantibus; potiſſimum tamen ſublatis cauſis, quarum quaevis pro ratione naturae indolisque fugari vel emendari debet.

39. Tollitur doloris ſenſus agendo vel in nervos, vel in originem illorum cerebri medullam. In nervos tollendo commercium inter partem laeſam & ſenſorium commune; in cerebrum, illud inſenſile reddendo.

40. Anxietas aliud ſymptoma febrile ſui curam poſtulat. Eſt autem pariter ac dolor triſtis ſenſatio, ſed ex ideâ imminentis mali dolore longe terribilior.

41. Eſt ergo illa ſenſorii communis mutatio, quâ ideae excitantur, quas abſque ſummis turbis mens contemplari non poteſt & tamen contemplari debet, cum eas a ſe avertere non poſſit.

42. Cauſſae quatenus corporeae, ſunt 1. excretionum materiae ad eas paratae impedimenta. 2. actionum vitalium obſtacula.

43. Cura anxietatum conſiſtit in amovendis cauſſis & tollenda triſti ſenſatione.

44. Priori indicationi ſatisfaciunt, quae excretiones paratas promovent, & quae actiones vitales liberas reddunt, tollendo impedimenta.

45. Triſtis ſenſatio tollitur delendo, quas mens concepit, ideas.

46. Debilitas eſt illud vitium virtutis motricis, quo fit, ut motus muſculares non niſi aegre & languide exerceri queant.

47. Conſiſtit ergo in inminutione vis vitalis muſculorum.

48. Debilitatis cauſſae haerent vel in ipſis fibris muſcularibus, vel in organis muſculum nutrientibus, vel in nervis.

49. Fibrae muſculares debilitatem producunt, ubi laxae ſunt, vel rigidae, vel deſtructae, vel ubi coaluerunt. Cura conſiſtit pro ratione cauſſae in corroborantibus, vel laxantibus; deſtructio aut concretio non niſi palliativam admittit.

50. Organa muſculos nutrientia ſunt vaſa ſanguinea vel ſanguineis minora cum contento ſanguine vel liquido a ſanguine ſecreto.

51. Ad cauſſas in hiſce obvias referantur humorum inopia, copia nimia, craſis vitiata, vaſorum obſtructio, compreſſio, deſtructio, unde liquidi extravaſatio. Cura cuivis harum cauſſarum eſt accommodanda.

52. Si tandem cauſſa debilitatis in nervis reſidet, eorum vis eſt oppreſſa, vel fracta. Cura poſtulat cauſſas opprimentes vel frangentes tollere, nervosque languidos excitare & roborare.

53. Pervigilium oritur ab omni cauſſa, quae liberum commercium ſervat inter ſenſorium commune & partes ſenſui ac motui dicatas.

54. Pertinent huc omnia ea quae dolorem & anxietatem inducunt, tum quae calorem & raptum humorum verſus cerebrum excitant, unde mirum non eſt in febribus frequens ſymptoma eſſe.

55. Cura ergo peti poteſt ex praegreſſis, quibus adde quae humores a cerebro revellunt.

56. Sitis qua potus neceſſitatem nobis indicat natura in febre quo-

que grave eſt & moleſtiſſimum ſymptoma.

57. Oritur vel ab humorum immeabilitate, vel a ſiccitate generali, vel ſpeciali oris & faucium, vel ab acrimoniâ quâvis, exceptâ forte acidâ.

58. Species prior, niſi immeabilitatem humorum tollis, falli quidem, curari non poteſt. Altera poſtulat humectantia, ſubglutinoſa, acidula, nitroſa, tepida. Tertia, quae peccanti acrimoniae opponuntur requirit.

59. Sola ſupereſt febrium diviſio, quae varia eſt; ubi deſumitur ea a tempore durationis, habita ſimul ratione periculi, febres erunt vel acutae vel lentae; ab origine diſtinctio febrium oritur in epidemicas vel ſporadicas; a decurſu jugi vel interrupto, aliae dicuntur continuae, aliae

in-

intermittentes. Ex ſymptomatibus ſi diviſionem petamus, innumerae fere febrium oriuntur ſpecies, ut ardens, elodes, fricodes, epiala, leipuria, aſodes, lungodes, haemorrhoïdalis, clamoſa &c.

60. Quid tandem judicandum eſt de febre topicâ? Eam revera locum habere.

CAPUT II.

De Inflammatione.

§. 1.

Inflammatio eſt tumor in parte ruber cum dolore, ardore, duritie, pulſatione, punčturâ & febre vel univerſali, vel in ſolâ parte inflammatâ conjunčtus.

2. Praeter allata haec ſymptoma-

ta ſunt & alia, quae non ita conſtanter obſervantur, ut pulſus durus & magnus, cruſta in educti ſanguinis ſuperficie denſa, tenax, coloris diverſi.

3. Indoles inflammationis conſiſtit in ſtagnatione ſanguinis in vaſis arterioſis, vim vitae ita in actum deducente, ut majori impetu humores a tergo impellantur.

4. Cauſſae inflammationis ſunt frigus immoderatum, vel calor aeſtuans, alterum alteri in primis ſubito ſuccedens, cibi, potus, remedia acria, calida, ſtimulantia, motus corporis vehemens, ira, ceteraque gravia animi pathemata, excretiones & nimiae & ſuppreſſae, injuriae quaevis externae, acria quaecunque corpori admota, oleoſa inprimis: Diſponunt autem plethora, cacochymia, febris.

5. Ad prognoſin quod attinet, bona pollicentur inflammatio non valde vehemens, recens, corpus euchymum, vaſa laxiora, ſanguis nec acer, nec denſus. Haec reſolutionem ſpondent.

6. Reſolutio inflammationis eſt ea ſalutaris mutatio, qua ſtagnans materia lenitâ ſimul vi vitae redditur mobilis.

7. Inflammatio vehemens in initio, absque reſolutione remittens & ſic diutius hominem detinens, ſuppurationem exſpectari debere denotat.

8. Suppuratio eſt illa inflammationis non reſolubilis mutatio, quâ fit ut rumpantur vaſa, effundaturque ex ruptis liquidum, quod una cum illis vaſis in pus mutatur; conſule Chirurgos.

9. Inflammatio vehementiſſimis ſymptomatibus ſtipata, cauſſa perdurans, corpus cacochymum, remediorum perverſus uſus gangraenae ſphacelique metum incutiunt.

10. Gangraena eſt fatalis ille inflammationis exitus, quâ vitalis humorum motus in parte quâdam deletur, ſimulque putredo imminet, cum vero plene membrum ad os usque emortuum eſt, adeſt ſphacelus; conſulantur Chirurgi.

11. An & ſcirrhus & cancer ſequelae ſunt inflammationis? videntur eſſe poſſe, ſi pars glanduloſa fuerit inflammata, & ſingularis ad hoc mali genus praediſpoſitio.

12. Ad curam inflammationis requiritur ſublatis cauſſis impetum auctum minuere & materiem reddere mobilem; ſic obtinebitur reſolutio, in quam omnem operam conferre debet medicus. B 5 13.

13. Humorum impetus minuitur eorum quantitatem imminuendo venae & arteriae ſectione, curſum aliorſum dirigendo purgantibus, clyſmatis, fonticulis, ſetaceis, veſicatoriis, epiſpaſticis, ſtimulum obtundendo diluentibus, humectantibus, acri oppoſitis.

14. Materia redditur mobilis, vel repellendo eam in vaſa majora, vel attenuando eandem, vel vaſa laxando, ut ea permeare poſſit ſtagnans materia.

15. Repellere materiam non licet, niſi in mali & leviuſculi quidem, ac potiſſimum ab externâ injuriâ illati initio, nec licet, ſi materia morboſa critice in partem depoſita ibi inflammationem excitaverit; larga V. S. purgantia, frictiones, prudens adſtringentium uſus hic conducunt.

16. Attenuant materiem aquoſa, nitroſa, ſaponacea, actio mechanica vaſorum, V. S. aliquando & levis ſtimulus per veſicatoria, frictiones, cucurbitas.

17. Laxantur vaſa aquoſis externis, internis, variâ formâ exhibitis. An & tuto oleoſis?

18. Diaeta ſit ſimilis ei, quam in febre laudavimus.

CAPUT III.

De Febre continuâ.

§. 1.

Febris continua eſt talis febris, quae ſine interruptione hominem aegrum detinet.

2. Symptomata ſunt frigus aliquan-

quando in acceſſu, cum rigore vel horrore, tunc calor ſiccior plerumque quotidie increſcens, vel ad ſummum ſubinde remittens, cum majori vel minori virium proſtratione, declinante autem morbo, mador & humidior calor.

3. Indoles febris continuae ab eâ aliarum febrium non differt, niſi ratione perſeverantiae.

4. Eaedem quoque hîc cauſſae peccare poſſunt, quae in ceteris, frequentiores tamen ſunt ex multis, aëris vitia manifeſta & occulta, partium inflammationes & ſuppurationes, bilis depravata, ſanguinis dyſcraſia phlogiſtica, ejusque & aliorum humorum acritas putrida.

5. In omni febre continuâ gravioribus ſymptomatibus ſtipatâ diſcrimen eſt, cujus gradum metimur ex doctrinâ criſium.

6. Bona pollicetur criſis coctionem inſequens, viribus vitae bonis, in quâ excrementa ſimilia ſunt naturalibus, quantum per indolem morbi licet, cum levamine ſymptomatum; ſpecialius autem proſunt juſto tempore & moderamine in febre continuâ ſudor, urina, alvi excretio, vomitus, narium haemorrhagia.

7. Mala ſunt lingua nigra & ſcabra, manuum palpitatio, aëris ex naribus emiſſio fortis & copioſa, motus maxillae quaſi manducantis, ventris meteorismus, ſtillicidium cruoris, ſingultus, alvus nigra, abortus.

8. Dubia valde & incerta, icterus, cuticulae abſceſſus, aphonia, lacrymatio, ſurditas, ſalivatio.

9. Cura ex illis indicationibus petenda, quas Cap. 1. §§. 6. & ſeq. propoſuimus; Remediorum ſele-

ctum

ctum docet major plerumque & protractior ſtimulus, ac febris tempus, humorumque in putredinem creſcens diſpoſitio.

10. Victus rationem ita moderabimur, ut vires ad criſin neceſſarias foveamus, nec tamen naturam ab opere avocemus.

11. Diſtinguuntur febres continuae, quod aliae remittant, aliae non remittant, continuae remittentes ſunt vel erraticae vel periodicae.

CAPUT IV.

De Febre Ephemerâ benignâ.

§. 1.

Febris ephemera benigna eſt febris continua mitiſſima ad ſummum per tres quatuorve dies perdurans.

2.

2. Diſtinguitur ſimplex ab ephemerâ protractâ vel plurium dierum, quae & ſynochus ſimplex vel non putris appellatur.

3. Sanum invadit corpus: ſymptomata febrilia mitiſſima intra diem unum, tres, quatuorve decreſcunt & plane deſinunt ita, ut & pulſus & excreta ſana denuo ſint.

4. Morbi ingenium idem, quod ceterarum continuarum. Cauſſae leviſſimae; motus corporis animique major, vigiliae protractae, copioſior paulo vini cibique ingurgitatio, impedita perſpiratio.

5. Periculum nullum.

6. Cura pro ſymptomatum gravitate dirigenda. Optimum ſaepe nihil agere. Aliquando lenia diaphoretica ſufficiunt. Subinde emeticis, catharticis & V. S. locus eſt.

C A-

CAPUT V.

De Febre putrida.

§. 1.

Febris continua, in quâ humores a ſtatu naturali ita degenerant, ut jam putreſcant, dicitur febris putrida.

2. Symptomata in hac febre non omnia ſunt aeque conſtantia; febris aliquando remittit, aliquando continens eſt. Lingua ſaepe ſicca eſt, ſulcata quaſi, aliquando nigra, tremula, calor acrior, mordicans, ſudor foetidus, urina craſſa, jumentacea, pulſus inordinatus, non raro inaequalis, celerrimus & contractus, vere ſubinde ſpaſmodicus, alvus plerumque liquida, foetidiſſima, ſaepe delirium, aliquando ſopor, ſumma virium dejectio.

3. Motum febrilem provocat ſanguis acri putrido infectus. Cujus degenerationis cauſſae ſunt: aër putridus, cibi potusque ſimiles, rancidi porro, pinguesque, motus corporis minius, nimiae excretiones, nec non & retentæ, ſolida laxiora, debiliora, obſtructiones tum cutaneae, tum aliarum partium.

4. Periculo plena haec febris eſt; gradum diſcriminis determinant ſymptomatum indoles petenda ex iis quae C. 3. §. 6, 7, 8. ſunt allata.

5. Cura poſtulat aërem, diaetam, remediaque antiſeptica, blande evacuantia; tum epiſpaſtica extus admota; vires penitus disjectae prudenti cardiacorum uſu ſunt erigendae, inprimis ubi critico tempore aliquis erumpere nitatur ſudor. V. S. in hac febre rariſſimus uſus.

CAPUT VI.

De Febre biliosâ.

§. 1.

Ex putridarum genere bilioſa eſt, non aliâ ratione diverſa, quam quod pro cauſſâ agnoſcat chyli & ſubinde bilis vitium. Cauſſae autem frequentia ad ſpecialem ejus pertractationem allicit.

2. Poſt ſymptomata affectarum primarum viarum, oritur frigus, horror, calor, aeſtus, cephalalgia, pulſus febrilis, ſed debilis, contractus. Sequitur tunc cum languore aliquando ſymptomatum remiſſio, quae tamen dein fortius hominem inſiliunt, cum ingenti ſiti, celerique corporis emaciatione; fit aliquando, ut de novo remittant parumper ſymptomata cito tamen redeuntia,

quotidie exacerbatur morbus, accedit delirium, tympanites, brevis reſpiratio; moritur aeger, niſi natura prudenti arte adjuta eum per felicem criſin ſervet.

3. Indoles eadem eſt, quae ceterarum putridarum. Cauſae omnes illae, quae humorem putridum in primis viis generare, atque ita bilem ceteroſque humores inficere valent. Aëris nempe vitia; eaque inter conſtitutio fervida, & eam excipiens tepor, ſubitaque ex gelidâ in calidam mutatio, cibi potuſque in putrefactionem proni, aut copioſius juſto ingeſti, perſpiratio aliæque excretiones impeditæ.

4. Ad prognoſin, praeter ea, quae ſupra C. 5. §. 4. ſunt dicta, haec pertinent ſedes bilioſae, voluntariae, urinae primum turbidae, dein ſedimentum deponentes, lingua madeſcens, cutis mollis ſine ſudore fri-

frigido, delirium ſedatum bona ominantur. Contraria minus bene, inprimis autem metuendae ſpumoſae alvi egeſtiones.

5. Cura conſiſtit in corrigendo & evacuando fomite putrido; commendanda igitur remedia digeſtiva, diluentia, emetica, cathartica blanda, acida, foſſilia inprimis, diaeta ſimilis, quae remedii ſimul vice poſſit fungi, motum interim abnormem prudens moderetur epiſpaſticorum uſus.

6. Superatâ febre remanenti forte obſtructioni medemur, per continuatum digerentium uſum; delirium laxantibus acidis primo, dein tonicis debellandum, quae etiam alias ſequelas ex debilitate tollere ſolent.

CAPUT VII.

De Febre inflammatoria.

§. 1.

Febris inflammatoria eſt febris continua acuta, quae oritur a ſanguine phlogiſtico.

2. Symptomata ſunt ardor intolerabilis, ſiccitas partium plerarumque, urina pauca rubra, ardens, alvus clauſa prius, poſt ſaepe liquida, anxietas, delirium, convulſiones, vigiliae, pulſus durus, plenus, celerrimus, reſpiratio denſa, cita, anheloſa, calida, tuſſicula, ſitis intenſa.

3. Cauſſae materialis hanc febrim provocans eſt ſanguis phlogiſticus.

4. Pro cauſſis ergo antecedentibus habendae ſunt omnes illae, quae poſſunt ſanguinem phlogiſticum reddere, in corpore diſpoſito, quale eſt juvenile inprimis, cujus ſolida ſunt elaſtica, tenſa, & cruor ad concreſcendum indolem proniorem habet, qualem in gravidis. Huc ergo reférri debet aër fervidus, aut intenſe gelidus, cibus aromaticus, potus vinoſus, ſpirituoſus, motus nimius, vigiliae, excretiones nimiae, terror atque ira.

5. Periculo plena haec febris eſt, aliquando etiam citiſſime lethalis; aliquando dubio eventu in alium morbum abit; ſaepe autem in ſanitatem feliciter tendit, ſi nempe tempore critico accedat liberalis narium haemorrhagia, ſudor copioſus, aequabilis, parotides, icterus. Hanc vero benignam mutationem ſpondet pulſus molleſcens ſenſim, ſymptomatumque aliquod decrementum,

quae quidem augentur paulo ante criſin, tum vero per debitas evacuationes ſedantur ac terminari ſolent.

6. Mala quaevis portendunt, aeſtus interiorum, frigus extremorum, parcum narium ſtillicidium, haemoptoe, mictus cruentus, alvus fluxa, liquida, alba, foetens, ſuffocationis ſenſus ſine faucium tumore, continuum delirium, oculorum diſtorſio, convulſiones, paralyſes, pulſus durus, debilis, vigiliae pertinaces.

7. Cura jubet impetum humorum infringere, ſanguinisque dyſcraſiam phlogiſticam ſimul emendare: V. S. moderatum aëris puri frigus, revellentia, diluentia, ſaponacea, acida, aceſcentia, nitroſa, eccoprotica, clyſmata, diaetaque remediorum auxiliatrix hiſce indicationibus faciunt ſatis.

CAPUT VIII.

De Febre hectica.

§. 1.

Febris hectica eſt febris continua lenta, tabifica.

2. Cognoſcitur porro ex calore acri, genis rubris, ſudore viſcido, praeſertim circa jugulum & frontem, atque urina plerumque ſaturatioris coloris, ſubinde quaſi pingui.

3. Quid proprie febrim hanc provocet, obſcurum eſt. Nec enim, niſi ſpecies febrium ultra modum augere velimus, humorum ammoniacalem acrimoniam ſupponere ſufficit.

4. Adeſt ſaepe ad hanc febrim haereditaria diſpoſitio: eam au-

autem excitantes cauſſae ſunt animi protracta pathemata, excretiones auctae vel imminutae, viſcerum obſtructiones, praegreſſae aliae febres, pleraque notabiliora mala externa, hisque ſimilia in interiori corpore.

5. Periculoſa febris eſt hominem lente conſumens, neque curari, niſi ſummo cum molimine, poteſt.

6. Sublatis enim (quarum pleraeque ſaepe non niſi difficulter ſanantur) cauſſis antecedentibus, humorum acrimonia corrigi & involvi debet, quod fit ſaponaceis acidis, balſamicis, mucilagineis, aliquando etiam prudenter expelli, potiſſimum per diuretica; diaetâ autem ex euchymis & eupeptis, ſolidorum labi, ſi adſit, atque emaciationi occurrendum eſt.

C A-

CAPUT IX.

De Febre ſcarlatinâ.

§. 1.

Febres exanthematoſae ſunt febres continuae, quae exanthematibus ſive efflorefcentiis in cute emergentibus ſtipantur.

2. Cauſſa materialis febriles hos motus provocans incognita eſt; eam generantes ſaepe dubiae. Abeſt autem, ut ſemper male directo in febribus regimini, exanthemata debeantur.

3. Ad hunc ordinem morborum referendae ſunt febris ſcarlatina, purpura, miliaris, morbilli, variolae, ac peſtis. De ſingulis ſeorſim.

4. Scarlatina febris leniſſima eſt; quarto plerumque die univerſa cutis maculis parvis rubris interſtinguitur lateſcentibus primo, dein ſenſim ſenſimque evaneſcentibus, epidermide in tenues admodum ſquamulas ſecedente.

5. Prudenter curata diluentibus, diaphoreticis, ſubinde & nitroſis, ſine ullo diſcrimine ſecedit.

CAPUT X.

De Febre miliari & purpurâ.

§. 1.

Febris miliaris eſt febris continua acuta, in quâ erumpunt in cute exiguae puſtulae leviter ſupra ſuperficiem, numeroſae admodum, quae abeunt in parvas veſiculas, liquore lym-

lymphatico plenas, grano milii non majores, ac dein exſiccantur.

2. Symptomata eruptionem & incrementum praecedentia ac comitantia ſunt horror, rigor, anxietas, leve delirium, dorſi dolores, tendinum ſubſultus, pulſus celer, contractus, motus convulſivi, faucium dolor, tandem ſequitur puſtularum exſiccatio, epidermidis deſquamatio, quas frequenter excipiunt parotides.

3. Periculoſa febris eſt; frequenter in alios morbos terminatur. Alba eruptio plus periculi habet, quam rubra. Peſſime ominantur interſperſae puſtulis maculae lividae.

4. Cura poſtulat diaphoreſin promovere, motusque febriles nimios & inordinatos temperare, quod aliquando V. S. frequentius clyſmatibus, epiſpaſticis, nitroſis ac tempantibus peragitur.

5.

5. Purpura eſt febris acuta, in quâ, ſi benigna eſt, circa quartum diem emergunt maculae roſei coloris paucae, quae auctae ſenſim tandem morbum inſtar criſeos ſolvunt. Si vero maligna eſt maculae purpureae ſunt, lividae, atraeque aliquando, cum intenſâ ſiti, aeſtu praecordiorum, haemorrhagiis ſaepe & parvo celerique pulſu.

6. Male admodum ominantur lingua frigida, ſudores foetidi, cadaveroſi, urina copioſa, atra, cruda, convulſiones, vomitus inanescum cardialgia, reſpiratio anxia, frequens, exilis, pulſus parvus & inordinatus, haemorrhagiae.

7. Benigna curatur ut eryſipelas, cavendo ſollicite retropulſionem; in malignâ, ſi per vires liceat & conſtitutionem, lene date vomitorium. Ceterum auxilium in ſpiritu vitrioli, moſcho, camphorâ, chamomillâ;

ſer-

ſerpentariâ, contrajervâ & cortice peruviano eſt quaerendum.

CAPUT XI.

De Morbillis.

§. 1.

Ad febres exanthematoſas pertinent morbilli; non unico ſymptomate, ſed plurium collatione a ceteris diſtinguendi, quorum alia eruptionem praecedunt, alia vero ſequuntur.

2. Eruptionem praecedunt febricula, cum horrore, calore, rigore, ſenſim exacerbata, nauſea, vomitus, lingua albicans, cephalalgia, ſomnolentia, ſaepe diarrhoea; haemorrhagia narium, dyſpnoea; tuſſis ſicca, ſternutatio, lacrymae, ſtillicidium limpidi e naribus liquoris,

ris, rubor oculorum, tumor palpebrarum, quem citius, tardiusve ſequitur eruptio exanthematum rubrorum, primo in facie, ubi exiles admodum papulas referunt, dein in reliquo corpore, ubi maculis ſunt ſimiliora, vix interim imminutis ſymptomatibus.

3. Poſt tres quatuorve dies, ea quae faciem obſident pallere incipiunt, reliquis adhuc intenſe rubris; tandem decreſcentibus ſymptomatibus plane evaneſcunt, & deſquamatur epidermis.

4. Morbus dubius eſt; epidemii morbilli plerumque minus benigni quam ſporadici; terminantur ſaepe in peripneumoniam & pulmonale ulcus. Male ominatur rubor nimius aut livor. Periculo plena ſaepe ſuccedens diarrhoea.

5. Curabimus morbum, ſi mate-

teriae in cutim depoſitionem promoveamus, ac retropulſionem impediamus. Utrumque fit, per moderamen febris, quae ſi nimia eſt, V. S. nitroſis, diluentibus, clyſmatis temperanda; minor juſto ubi eſt, excitanda, modicam ſuſtinere potu largiore diluente conducit.

6. Tuſſi interim moleſtae praeter pectoralia, diacodiata, lacticinia, medetur V. S., quae & adverſus diarrhoeam ſuperſtitem commendanda; alvo autem non fluxa, eccoprotica ſaepe repeti debent.

7. Inſeruntur morbilli, vulnuſculo artificiali applicando aliquid ſanguinis è corpore morbilloſo, eo eventu, ut morbus emergat, cujus ſymptomata longe dicuntur leviora,

CAPUT XII.

De Variolis.

§. 1.

Variolae quoque exanthemata ſunt, quae, ut morbilli, exacte cognoſci non poſſunt, niſi ex hiſtoriâ ſymptomatum, ad quorum intellectum neceſſe eſt, veras variolas diſtinguere, in diſcretas & confluentes.

2. Commoda eſt hujus morbi in quatuor ſtadia diviſio, qnorum primum contagii eſt, alterum eruptionis, tertium ſuppurationis, quartum exſiccationis.

3. Symptomata contagii ſunt horror, rigor, calor, nauſea, vomituritio, anxietas, dolores capitis, dorſi, circa praecordia, colici, nephri-

phritici, pleuritici, ingens in ſudores propenſio, praeſertim in adultis, ſplendor oculorum, lacrimae, rarius tuſſis & ſternutatio, febris continua, acuta, ſaepe deliria, interdum narium & menſium fluxus, in adultis alvus ſtrictior, in infantibus aliquando diarrhoea, tum & ſtupor, ſomnolentia, convulſiones, ſanguis diſſolutus, eruptio papularum incipiens; in confluentibus, rarior adultorum in ſudores propenſio, frequens in illis diarrhoea; ſymptomata autem reliqua plerumque graviora.

4. Cauſſa eſt contagium varioloſum a corpore diſpoſito contractum. Quale autem illud miasma ſit; quâ ratione cum corpore communicetur, & quaenam eo requiratur diſpoſitio, aut ignoramus, aut certo affirmare non licet.

5. Primum hoc ſtadium raro peri-

culoſum eſt; vehementiora ſymptomata plerumque confluentes praedicunt; infantum couvulſiones raro ſunt mali praeſagii; diarrhoea modica laudabilis; moderatus quoque fluxus ſanguinis ex naribus & utero non contemnendus; ſternutatio & inſignis pruritus metum incutiunt; peſſime ſanguinis ſputum ominatur.

6. Oportet in hoc ſtadio febrilem motum, quo utitur natura, ut miasma extrorſum pellat, moderari; tollendo aut per lene vomitorium, aut per eccroprotica & clyſmata omnem ſebris fomitem, eamque ſi nimia ſit infringendo, aliquando per V. S. ſemper per diluentia, leniter diaphoretica, regimen frigidiuſculum, revellentia ſive epiſpaſtica, ſive balnea pedum; diaeta interim adminiſtretur tenuis, acidiuſcula, abſtinendo ab alcaleſcentibus; ſin forte motus langueat, quod rariſſime obſervatur, excitari cardiaco debet.

7. Symptomata eruptionis in diſcretis ſunt ſequentia: quarto plerumque morbi die, hinc inde erumpunt puſtulae, ubique leviter ſupra cutim elevatae; interim ſymptomata febrilia multum remittunt, interdum plane deſinunt; manet autem in adultis diatheſis ad ſudorem; accedit porro faucium dolor, qui deglutionem moleſtam reddit; augentur puſtulae, fiuntque veſiculae, in quibus liquor eſt limpidus prius, ſenſim flaveſcens & pus perfectum evadens; facies tumet; oculi clauduntur; cutis ubique leviter inflammata & tenſa eſt; urina plerumque cocta; alvus minus fluida.

8. In confluentibus puſtulae plures erumpunt & citius, ſaepe jam in ipſo exortu implicatae, aliquando initio diſcretae: factâ eruptione ſymptomata ſaepe nę quidem remittunt. Puſtulae numquam ad diſcretarum volumen increſcunt, nec con-

tentus in veſiculis liquor ita flavet; facies tumet maturius; omniaque ſymptomata graviora ſunt: diarrhoea accedit in infantibus; atque in adultis tanum non ſemper ſalivatio, aliquando vel primo hujus ſtadii die.

9. Bonum eſt, puſtulas lente erumpere, cito & multum increſcere, decreſcere ſimul ſymptomata; variolis diſſitis interhaerere tumentem cutim colore roſeo; baſes puſtularum circulo rubro ambiri; liquidum contentum maxime ad puris naturam accedere; faciem modicè tumere; mala ſunt, praeter phaenomena contraria, phrenitis, coma, morbilli, petechiae junctae, fovea in vertice omnium puſtularum, nigredo earumdem, tenuis in illis ichor, diarrhoea in adultis, cruentus mictus & ſputum, fluor uterinus, urinae ſuppreſſio. An & narium haemorrhagiae?

10.

10. Cura jubet pergere in promovendâ leniter eruptione, atque inchoante ſuppuratione, quem in finem diverſa conducunt remedia, pro diverſo obſtaculorum genio; moderatum regimen, diluentia, aliquando V. S., epiſpaſtica, pediluvia, balnea, paregorica hic laudantur; ſalivatio diu ſuſtinenda, & ſymptomati cuivis pro diverſâ indole & cauſſâ eſt occurrendum.

11. Symptomata ſuppurationis in diſcretis haec ſunt: octavo plerumque morbi die ſtadium hoc incipit, febris, quae jam redire coepit, conſuevit exacerbari; tumor faciëi manuumque & pedum obſervatur magnus; papularum liquore purulento turgentium ſummitati ſpiſſior quaedam materies coepit adhaerere, quae augetur continuo, dum interim detumet facies.

12. In confluentibus ſtadii ini-

tium adeſt aliquando demum undecimo die imo & ſerius; febris exacerbatur intenſe; tumor faciëi, puſtularumque turgeſcentia minor quam in diſcretis; incipit minui ſalivatio; ſaliva viſcida eſt, fauces moleſte implet & anxietatem creat; tandem deſinit haec excretio, manibus inſigniter jam tumentibus; urinâque copioſe fluente.

13. Periculoſum hocce ſtadium eſt, idque ob febrim & ſalivationem, quarum illa ſaepe peſſima ſymptomata ſibi juncta habet, haec vero citius juſto imminuitur vel & plane ceſſat. Faciëi detumeſcentia nullo alio modo compenſata peſſime omniatur.

14. Indicatur hic 1. puris receſſum prohibere per lenia cardiaca, opiata, laxantia fomenta, puſtularum aperturam, 2. febrim temperare acidis, aceſcentibus, iisdemque

quae primae indicationi ſatisfaciunt, 3. ſymptomata mitigare.

15. Poſt ſuppurationis ſtadium ſequuntur ſymptomata exſiccationis vel prolapſus; primo quidem pus fluctuat ſub cruſta varioloſâ faciem obtegente; rumpuntur in artubus puſtulae; febris intenſa adhuc eſt, ſenſim tamen minuitur, deſinitque cruſtis decidentibus; his lapſis rubicunda apparet cutis, cui albicans pellicula inhaeret, ſub quâ dein viſuntur foveae; ſequuntur ſaepe hinc inde phymata & variolae ſecundariae.

16. In hoc ſtadio multum ſaepe mali, ex metaſtaſi & acrimoniâ malae materiae.

17. Curatur optime aeger, ſi pergat medicus implere indicationes ſtadii proxime praecedentis, donec cruſtae remiſſâ febre incipiunt dela-

bi; quae ulterius ſunt ſeparandae; puri exitus conciliandus, tum per ſuppurationem phymatum, tum per veſicatoria locis commodis admota; V. S. inſtituenda frequentiſſime eſt; cathartica fere ſemper exhibenda; adverſus foveas valemus nihil.

18. Inſeruntur variolae, vulnuſculo artificiali applicando aliquid puris, ex variolis benignis educti, eo eventu, ut morbus emergat, cujus ſymptomata, tantum non ſemper, ſunt leviora.

CAPUT XIII.

De Peſte.

§. 1.

Peſtis eſt morbus exanthematicus, malignus, epidemio-contagioſus, ſae-

ſaepe febrilis, cujus eruptiones ſunt carbunculi & petechiae.

2. Cauſſa materialis eſt miasma quoddam, quod in corpus non diſpoſitum iners eſt, cujus vero natura & agendi ratio incognitae hactenus ſunt.

3. Communicatur autem hocce venenum, per commercium quodcunque cum aliis locis hominibusque peſte infectis.

4. Extreme acutus morbus eſt, cui vel leniori numquam fidendum. Petechiae certa imminentis mortis ſunt praeſagia.

5. Cura eſt vel prophylactica vel therapeutica. Prior jubet 1. amovere cauſſas miasma communicantes a loco nondum infecto, omne prohibendo commercium cum infectis; 2. infectionis jam ſuſceptae progres-

greſſum ſiſtere; ſpargendo vapores antiſepticos, & delendo corpora infecta; 3. impedire veneni ad corpus adplicationem fugâ, aedium nitore, animo pacato, ſtrictâ diaetâ, abſtinentiâ a venere; 4. ita diſponere corpus, ut laedi, atque infringere venenum, ut laedere facile non poſſit: uſu antiloimicorum, maſticatoriorum & ſalivae eorum uſu provocatae ejectione; excretionum naturalium imminutionem praecavendo, fonticulos immittendo.

6. Poſterior vel therapeutica poſtulat 1. ut vires conſerventur per cardiaca antiſeptica; 2. ut venenum corrigatur & expellatur per eadem, per ſudorifera, veſicatoria; 3. ut ſymptomata tuto mitigentur, bubones ad perfectam maturationem perducendo, maturos incidendo; carbunculos digeſtivo miti tractando, ut mortuum a vivo ſeparetur;

tur; obſervato autem inter haec omnia regimine frigidiori.

CAPUT XIV.

De Febre intermittente.

§. 1.

Febris intermittens eſt talis febris, quae, poſtquam hominem aliquandiu occupavit, plane deſinit, ubi vero aliquandiu deſiit, denuo hominem occupat.

2. Dividitur pro vario tempore intervallorum in quotidianam, tertianam, quartanam; pro vario anni tempore in vernalem & autumnalem; pro variâ ſymptomatum naturâ in veram & ſpuriam; in ſimplicem quoque jure merito dividitur & complicatam.

3. Integer paroxyſmus febris intermittentis dividitur in tria ſtadia, quorum primum frigoris eſt, alterum ardoris, ſudoris tertium.

4. Primi ſtadii haec ſunt ſymptomata; laſſitudo, pandiculatio, oſcitatio, debilitas, frigus, horror, tremor, ἀναισθήσια, pallor, livor, nauſea, vomitus, ſitis, reſpiratio parva, frequens, anheloſa, anxia, pulſus celer, parvus, debilis, urina cruda, tenuis, aliquando turbida, ſubinde ſtupor, carus, imo ipſa apoplexia.

5. Ardoris ſtadium diſtinguunt reſpiratio anheloſa & profunda, anxietas, rubor, ardor ſiccus per totum corpus, ſitis, cephalalgia, delirium, carus, dolor oſſifragus, pulſus magnus, fortis, plenus, durus, urina flammea.

6. In ultimi ſtadii initio ſudor lenis ob-

obſervatur, qui ſenſim augetur & ex toto emanat corpore; lotium frequenter ſedimentum praecipitat; remittunt ſymptomata, ſequente plenaria ἀπυρέξια, quam aliquanto poſt novus excipit paroxysmus.

7. Ratio intermiſſionis in hoc febrium genere latet; veroſimile tamen eſt, eam in nervis eſſe quaerendam. Cauſſarum ingens numerus eſt, quem ex §. 4. Cap. 1. deſumere oportet.

8. Inſignes hiſce febribus excitantur in corpore mutationes, non ſemper aeque benignae; imo aliquando morte terminantur; bene ominari ſolemus, ex pallido urinae ſedimento cum imminutione ſequentium paroxysmorum; ex viribus vitae non nimium fractis; ex cruſtoſis naſi labiorumque eruptionibus non nimis cito tamen emergentibus.

9. Cura alia eſt in paroxysmo, alia

alia extra eundem. In primo paroxyſmi ſtadio, leniter aromaticis aperientibus materiae ſtagnatio tollenda, praecavendaque. In altero diluentia acidiuſcula conducunt. In tertio denique, aut nihil agendum, aut debiliori naturae per lenia cardiaca ſuccurrendum eſt.

10. Extra paroxyſmum danda ſunt, quae fida medicorum commendant obſervata, a vi debellandi hocce febrium genus, leniter aromatica, amaricantia, antiſpasmodica, adſtringentia vegetabilia; ſalina pleraque; remedia purgantia, emetica, ſudorifera; tum & externa, quae ut reliqua ſtimulo moderato corpori mutationem debitam inducere valent.

11. Nullum vero remedium certius febri intermittenti medetur quam cortex peruvianus, qui medetur tuto, ſi opportuno tempore,

re, & debitâ exhibeatur copiâ & formâ.

12. Regimen alimentarium in hoc febrium genere ſtrictum ſit; cavendum a nimio non ſolum, ſed & ſollicite a duriori cibo, atque intempeſtivo uſu.

13. Larvatae febres potiſſimum ex ſuis, quas obſervant, periodis dignoſcuntur, nec minus pulcre per corticem peruvianum debellantur.

CAPUT XV.

De nonnullis febrium intermittentium ſpeciebus.

§. I.

Febris intermittens quotidiana ex paroxysmorum tempore ſolet diſtingui, a tertianâ duplici & quartana

E tri-

triplici; ob facilem in continuam tranſitum curam diluentem antiphlogiſticam exigit.

2. Tertiana vera poſt quinque, ſeptem vel novem ſaepe ſolvitur paroxysmos, excretione criticâ urinae, materiae biliosſae, vel ſanguinis; aut erumpentibus puſtulis in ore, labiis, naſo: in utiliſſimâ hac febre, praeter diluentia date nihil, niſi graviora ſymptomata V. S., lene emeticm, aut catharticum poſtulent.

3. Quartana propria quaedam ſibi habet phaenomena; longiſſima eſt, & licet raro lethalis ſit, terminatur ſaepe in morbos chronicos; ſponte cedit aëris mutationi, vel cortice peruviano fuganda eſt.

4. Semitertiana eſt febris, in quâ quotidie obſervatur paroxysmus remittens, alternis diebus accedente paroxysmo, qui intermittit.

5.

5. Summe periculoſa eſt. Curanda eſt ut continua; neque tutus ſatis videtur peruviani corticis uſus.

CAPUT XVI.

De Scorbuto.

§. 1.

Scorbutum brevi definitione complecti non licet; vetat ingens ſymptomatum multitudo, quae commode diſtinguuntur; in ea quae incipientem & in illa quae provectiorem morbum denotant.

2. Prioris generis ſunt faciëi color pallidus, dein ſublividus; laſſitudo; genuum debilitas; difficultas reſpirandi; animi dejectio; tumor gingivarum, quae molles fiunt ſpongioſaeque ac putridae, ſanguinemque facile fundunt; halitus oris

foetidus; cutis ſicca, maculis inſignita rubris lividis nigrisque; crura fiunt oedematoſa & accedunt vagi variarum partium dolores.

3. Provectiorem ſcorbutum comitantur crurum maculoſorum vehementer auctus tumor; languor; facile animi deliquium; variarum partium haemorrhagiae; dyſenteriae torminoſae; ulcera gingivarum, crurum aliisque in locis; caries; omne fere morbi genus; tandemque violentiſſimae pectoris conſtrictiones & fixi dolores; inſequente ſubitaneâ ſaepe morte.

4. Conditio morboſa ſcorbuticorum conſiſtit in ſolidorum debilitate fluidorumque degeneratione ſpecificâ, nondnm ſatis cognitâ, forte valde compoſitâ, ex defectu chyli blandi & impedita tranſpiratione cutaneâ derivandis.

5. Cauſſae ſunt athmoſphaerae humiditas frigida; nutrimentum ſiccum, δυσπέπτον; motus neglectus; praegreſſi morbi diuturni; triſtitia.

6. Scorbutus difficulter curatur; bene ominabimur, ſi poſt uſum debitorum auxiliorum levis oriatur diarrhoea; molleſcat cutis ac moderatum exercitium facilius perferat aeger; tum ex flavedine circumferentiae macularum; minus bene ex dyſenteriâ & pectoris vitio.

7. In praecavendo, aeque ac curando ſcorbuto, neceſſe eſt aere uti calido ſicco, alimentis digeſtu facilibus, potu ex cereviſia vel vino bene fermentatis, motu corporis & mente tranquilla; omni cura moliamur 1. organa quaevis excretoria pervia reddere 2. humorum maſſam temperare 3. ſolidis debitum

tum tonum reddere & 4. ſymptomata mitigare.

8. Duabus prioribus indicationibus ſatisfaciunt lenia cathartica, diaphoretica quoque & diuretica, reſolventia antiſcorbutica aurantiorum vel limonum ſucco temperata, ſerum lactis; nec non amaricantia, quae praeterea ſolidorum tonum reſtituunt: ſymptomatum autem vario cuique modo pro variâ indole omnino proſpiciendum eſt.

CAPUT XVII.

De Rheumatiſmo.

§. 1.

Rheumatiſmus dignoſcitur ex dolore cum gravitate, laſſitudine partium movendarum, aucto ad preſſionem, ſub noctem graviore, non ſo-

ſolos articulos, ſed & loca inter eos intermedia occupante; accedit ſaepe oedema & frequenter dolorem excipiunt paralyſis, ancyloſis vel alia quaevis immobilitas.

2. Eſt ergo partium ſenſilium molesta affectio, ab acri ſtimulo, qui pro diverſitate ſubjectorum rheumatismum vel ſcorbuticum vel inflammatorium producit.

3. Scorbuticus haec ſibi priva habet ſymptomata; dolor non omnium eſt vehementiſſimus; febris ſi adeſt levis eſt; dolor vagus, nec adeo late ſe extendit; laxos, ſcorbuticosque homines potiſſimum vexat.

4. Inflammatorius diſtinguitur dolore acerrimo fixiore; febre acutâ ejusque ſymptomatibus; ceterisque inflammationum ſignis; tum et eo, quod homines invadat fortes, plethoricos, bilioſos.

5. Cauſſa maxime frequens eſt impedita perſpiratio; ad ſcorbuticum praeterea diſponunt, quae ſcorbutum generant; ad inflammatorium autem aliquando febris.

6. Rheumatismus morbus eſt diuturnus, nec ſane omnis periculi expers, quod etiam aliquando per metaſtaſin materiae magnum eſt.

7. Scorbuticus poſtulat leniora cathartica, vel emetica, ſudorifera praemiſſis attenuantibus, antiſcorbutica, balnea.

8. Inflammatorius debellari debet V. S. etiam aliquando repetitâ, antiphlogiſticis, diluentibus diaphoreticis, balneis, veſicatoriis; ſtrictam interim aeger obſervet diaetam.

9. Non alia ratione curatur lumbago rheumatica, nephritide rarior, atque frequenter ſine vomitu con-

contingens, ſed quae vel ſic a nephritide difficulter diſtinguitur.

Caput XVIII.

De Arthritide & Podagrâ.

§. 1.

Arthritis eſt dolorifica aegritudo in articulis, à cauſſâ potiſſimum in vincula agente; eſtque univerſalis illa vel particularis; haec a ſede quam occupat varie denominatur.

2. Dignoſcitur ex praecedentibus horripilationibus, ructibus, borborygmis, inteſtinorum dolore, quem excipit ſtupor articuli, tardior membri motus, formicationes, pruritus, dolor major minorve, ſaepe vehementiſſimus, cum tumore, evaneſcentibus ſaepe ceteris ſymptomatibus, ſubſequente.

3. Cauſſa materialis minus cognita eſt; veroſimile tantum videtur lympham acriorem peccare.

4. Cauſſae tam proëgumenae quam procatarcticae ſunt haereditas, contagium, aetas adulta, ſexus maſculinus, venus praematura, luxuria & pigritia, nimia ingenii exercitia, aëris viciſſitudines, ſuppreſſae evacuationes, cibi potusque qualitate & quantitate peccantes, frequenter vini & ſpirituoſorum abuſus.

5. Morbus eſt aliquando lethalis, ſaepe inſanabilis, plerumque diuturnus; ſedimentum flavum vel rubrum in urinâ podagrico breviorem paroxysmum promittit: eſtque podagra non infrequens aliorum morborum remedium, retropulſa vero innumera mala provocat.

6. Cura mali alia eſt in paroxyſmo, alia extra eundem; prior jubet

bet depoſitam ad articulos materiem educere, promovendo tranſpirationem, per diaphoretica & moderatum membri adfecti calorem; ſymptomatum interim ferociae prudentiſſime occurrendo, aliquando per V. S., ſubinde per opiata, ſaepe per laxantia clyſmata.

7. Extra paroxysmum neceſſe eſt 1. novam lymphae degenerationem praecavere, potiſſimum per debitum rerum non naturalium moderamen; tum & per remedia tonica; 2. acrimoniam denuo generatam temperare, iisdem, forte & antacidis; 3. tutum illi per organa excretoria exitum procurare, per diaphoretica, diuretica, purgantia, & ulcera arte facta.

CAPUT XIX.

De Arthritide vel Podagrâ retropulſâ.

§. 1.

Arthritici morbi retropulſi dicuntur, quando materia morboſa non ad articulos, ſed in interiora deponitur, vel ab articulis in ea defertur.

2. Symptomata varia ſunt, pro varietate viſceris, in quod materia deponitur, atque in eodem viſcere differunt; pro diverſâ vi materiae arthriticae, quae aliquando inflammationem, aliquando ſtuporem, frequenter ſpasmos producit; haec autem mala huic retropulſioni, non alii cauſſae deberi, docet ſubjectum, praegreſſa, morbi tempus, & concomitantia ſymptomata.

3. Cauſſa quaerenda eſt, vel in materiae morbificae nimiâ copiâ; vel in majori articulorum reſiſtentiâ; vel in cordis vaſorumque debilitate; vel in diſpoſitione viſceris ad excipiendam arthritidem aptâ, natâ ab alio quodam morbo viſcus illud laxante vel irrritante.

4. Periculoſa haec eſt conditio, differt tamen periculum pro vario viſcere, vario ejus morbo, ac diverſâ aegri temperie.

5. Cura poſtulat materiem podagricam ad articulos revocare; quem in finem illi vel laxari debent, aquoſis, tepidis & eorum vapore; vel ſtimulari rubefacientibus, epiſpaſticis, veſicatoriisque; atque interim viſcera ad expulſionem diſponere vel per cardiaca, reſolventia, antiſpaſmodica; vel per antiphlogiſticam curam, pro vario viſceris adfecti morbo.

CAPUT XX.

De dolore Iſchiadico.

§. 1.

Dolor iſchiadicus dolor eſt obſidens articulum oſſis femoris ad acetabulum oſſis iſchii.

2. Dolor hic vehementiſſimus eſt, diffunditur per inguina, femur, crus, cum ſtupore ſaepe & paralyſi partium & in reddendo lotio difficultate; ſuccedente aliquando & ligamentorum & oſſis eroſione.

3. Materia morbi eſt rheumatica, arthritica, vel inflammatoria; nervoſa enim iſchias cauſſam agnoſcit forte ab arthritica non multum diverſam.

4. Cauſſae interim eam generan-

rantes eaedem ſunt, quas rheumatiſmum arthridemque ac inflammationes quasvis provocare vidimus, atque eas inter referri nimia equitatio debet.

5. Morbus eſt curatu difficillimus, nec raro periculoſus.

5. V. S., diaphoretica, fomenta & emplaſtra reſolventia vel calefacientia, veſicatoria, fonticuli, cauteria curam abſolvunt.

MORBI COMMUNES PARTICULARES.

CAPUT XXI.

De Cephalalgiâ.

§. 1.

Cephalalgia dolor eſt, qui potiſſimum

ſimum partes capitis occupat, ſupra oculos aureſque ſitas, easque vel externas vel internas; qui quidem, ſi in uno tantum capitis latere percipitur, hemicrania vocatur, ſi in exiguo loco, clavus.

2. Obtinet igitur in hoc malo vexatio fibrarum nervoſarum capitis, quam producunt variae cauſſae, quae vel in ipſas eas fibras agunt, vel in alias partes cum illis communicantes; unde utilis cephalalgiae in idiopathicam & ſympathicam emergit diſtinctio.

3. Cauſſae cephalalgiae idiopathicae ſunt morbi capitis quilibet tam externi quam interni; ſympaphicam generant frequenter ventriculi mala, ſed & ceterorum viſcerum morbi, imo & muſculoſarum nervoſarumque tantum non omnium partium vitia; quilibet etiam levis in rerum non naturalium uſu er-

error hanc provocare & intendere aegritudinem valet.

4. Cauſarum indoles ſaepe obſcura prognoſin frequenter dubiam reddit, earumque multitudo multum diverſam; cephalalgia, quae aliquando non ita magni momenti eſt, ſaepe contra multum periculi habet, & in varios abit capitis morbos, immo in mortem terminatur.

5. Eadem illa cauſarum diverſitas impedit, quo minus curatoriae indicationes ad certum determinatumque numerum queant reſtringi; tres tamen ſunt, quibus frequenter felici cum eventu ſatisfit; 1. oportet capitis augere perſpirationem; 2. humorum e capite naturalem excretionem promovere; 3. impetum affluentium humorum a capite revellere.

CAPUT XXII.

De Phrenitide.

§. 1.

Phrenitis eſt delirium perpetuum, ferox ſaepe, cum febre continuâ acutâ.

2. Morboſa conditio eſt inflammatio, tum ipſius cerebri, tum membranarum cerebrum inveſtientium.

3. Cauſae ſunt mora in aëre calido; inſolatio; vini abuſus; animi pathemata, praeſertim ira; nimium mentis exercitium; perſpiratio impedita; vis violenta capiti illata; gravis cephalalgia: ad eam autem diſponunt plethora; diſpoſitio inflammatoria; aetas juvenilis; tempus aeſtivum, autumnale & hybernum.

4. Quae quidem omnes cauſſae phrenitidem idiopathicam producunt, ſi inflammationem primum in ipſo excitent cerebro; ſymptomatica vero oritur, ſi materia phlogoſin excitatura aliunde ad illud deferatur, quod in variis morbis frequenter fit.

5. Morbus eſt acutiſſimus, periculo plenus, qui ſaepe in mortem terminatur, vel in alios abit capitis morbos, & hos ſaepe lethales: feliciter tamen aliquando ſanatur, vel ſimplici reſolutione, vel feliciter coctae materiae excretione.

6. Bene ominantur inſomnia evidentia; latitiae ſigna; varices vel haemorrhoides; larga narium haemorrhagia; fluxus alvi bilioſus; ſudor aequabilis, liberalis; dolor ad pectus & pedes; tum etiam phrenitis, quae ſupervenit morbo ſoporoſo ex cauſſâ frigidâ.

7. Minus bene, aeruginoſorum vomitus; ferocia; ſtudioſa & laborioſa aegri conditio; praerubrum alvi profluvinm; exhauſtae prius alio morbo vires; tremor; convulſio; ſingultus; frequens ſymptomatum permutatio; urinae & foecum interceptio, vel & involuntaria excretio & inſcia; pulſus exilis & celer; ac reliqua, quae in ceteris acutis male praeſagiunt.

8. In curandâ phrenitide promovenda omni molimine eſt, quam forte excitat natura, evacuatio critica; quae niſi compareat, eaedem oriuntur indicationes, quae in curandâ inflammatione implendae ſunt; largae ſanguinis miſſiones, purgantia bene valentia, ſed antiphlogiſtica, remedia reſolventia, diluentia, nitroſa, cucurbitae, epiſpaſtica, fomenta raſo capiti admota, quae primo leniter repellant, dein laxent & reſolvant; verbo, omnia ea

ad-

adhibenda ſunt, quae impetum in obſtructa vaſa cerebri minuere, & obſtruenti materiae tranſitum parare poſſunt.

9. Victus ſimiliter ſit antiphlogiſticus; ceterarumque rerum non naturalium, &, in phrenitide ſymptomaticâ praegresſi morbi prudentiſſima ratio eſt habenda.

CAPUT XXIII.

De Maniâ.

§. 1.

Mania eſt delirium perpetuum, ſaepe ferox, ſine febre.

2. Indoles maniae non adeo clara eſt; vitium ſi adeſt cerebri, non tamen ut videtur ſemper idem eſt;

neque conſtat, utrum ſola ſolida an & fluida peccent.

3. Cauſſae proëgumenae ſunt hereditas, temperies potiſſimum atrabilaria; aetas juvenilis; & adulta; ſexus virilis; corporis conditio, quam ver infert & autumnus: procatarcticae, aër ſiccus & calidus; cibi potusque acres aromatici; venena; motus nimius; protractae vigiliae; excernenda retenta; animi pathemata.

4. Malum eſt pertinax, ſaepe inſanabile; ſaepe in periculoſos capitis morbos abit; aliquando aliis medetur; largior quaevis evacuatio ſpontanea, hydrops, febris intermittens, dolor ad pectus pedesque, tuſſis bene ominantur; convulſiones dubiam habent prognoſin.

5. Cura poſtulat ſanguinis misſiones, aliquando etiam repetitas,

interpoſitis emeticis, & catharticis clyſmatibusque & exhibitis ſimul remediis ſolventibus, blande ſalinis, ſaponaceis; dum interim cucurbitae, epiſpaſtica, fomenta, pediluvia, balnea adminiſtrari debent.

6. Differt illa delirii ſpecies, quae in debiliori vel exhauſto homine oritur; quae longe oppoſitâ ratione, ſolis nimirum illis remediis externis internisque, quae corroborant, curari debet.

CAPUT XXIV.

De Melancholiâ.

§. 1.

Melancholia eſt mentis alienatio diuturna, pertinax, ſine ſebre, circa unum fere idemque objectum verſans,

ſans, juncta plerumque cum metu, triſtitiâ, & pervicaciâ.

2. Commodioris doctrinae gratia, dividitur in atrabilariam & hypochondriacam, quarum hæc illius aliquamdiu durantis ſequela eſt.

3. Melancholia atrabilaria eſt illa melancholiae ſpecies, quae producitur ab humore atrabilario, (qui nihil aliud eſt, niſi ſanguis craſſus ater, pinguis, terreſtris, ex diſſipatione partium liquidiorum & adunatione minus mobilium,) libere adhuc moto, neque ullibi hucusque fixato.

4. Dignoſcitur ex delirio; ex indiciis tempiëi atrabilariae; ex ſanguine nigricante, ejusque ſero flavo; ex reſpiratione ſaepe lentâ & tardâ, ſimilique pulſu; excretione cutaneâ imminutâ; urinae vero copioſiore, plerumque pallidae; aliquando tenui filamentorum genere obſeſſae.

5.

5. Cauſſae ſunt temperies atrabilaria; mentis nimium exercitium; animi pathemata; vigiliae protractae; corporis motus vel nullus vel nimius; evacuationes nimiae vel ſuppreſſae; nervorum turbae; alimenta dura, viſcida, auſtera; potus parcus vel ſpirituoſus; inedia; febres continuae, quarum imperfecta criſis eſt, vel intermittentes ſuppreſſae; venena quaedam.

6. Morbus eſt curatu ſemper difficilis; frequenter mutatur in hypochondriacam, hac etiam periculoſiorem; ſaepe vagis, vel ſtatis redit temporibus; bene ominantur haemorrhoides absque virium damno ſupervenientes.

7. Cura jubet diſſipatum humorem reſtituere & condenſatum attenuare; diaeta reſolvens; remedia ſalina, ſaponacea, quae ſimul diluunt, leniter incidentia, eccopro-

tica, aquae minerales huic ſcopo ſatis faciunt; imo aliquando V. S., emetica, ulcera artificialia, emmenagoga, aloëtica, cauſſae poſtulant; balneorum quoque prudens convenit uſus.

8. Melancholia hypochondriaca ea eſt melancholiae ſpecies, quae oritur, ab humore atrabilario, in viſcera ſub hypochondriis ſita delato, & in iis fixato.

9. Cognoſcitur haec frequenter ex ſignis praegreſſae atrabilariae, tum & ex iisdem ſymptomatibus, ſed valentioribus; porro ex ſenſu ponderis, pulſationis, ſubinde doloris & duritiëi, tum in toto abdomine, tum in primis ad epigaſtrium & hypochondria, dyſpnoeâ, ſuſpiriis; ſpasmodicis interiorum, ipſius cordis, motibus; depravatâ digeſtione; alvo conſtipatâ; ictero; ſalacitate & nocturnâ pollutione.

10. Malum hoc valde periculoſum; materia enim fixata acrimoniam contrahens fit pro parte tenuis, mobilisque, ac triſtiſſimas deſtructiones & inde natos mille morbos generat.

11. Malo nondum inveterato occurritur 1. quidem, fixatam materiem ſolvendo iisdem, quae adverſus atrabilariam melancholiam laudavimus; ſed blandiſſimis illis; 2. ſolutâ materie, nec prius, expellentibus locus eſt, quae vel tunc leviora ſint, & ante omnia, per illam viam agant, quam natura monſtrat; morbus provectior non niſi palliativam admittit curam.

CAPUT XXV.

De Convulſionibus.

§. 1.

Convulſio vel & ſpasmus dicitur violenta, invita & morboſa fibrarum motricium actio.

2. Ad ſymptomatum cognitionem attendendum eſt, convulſiones diſtingui in univerſales & particulares; illarum triplicem eſſe ſpeciem, τέτανον, ἐμπροσθότονον, & ὀπισθότονον; harum tot fere, quot ſunt diſtinctae in corpore partes; notandumque in genere eſt invitam hanc contractionem comitari duritiem, tumorem, inflexibilitatem, & ſaepe dolorem.

3. Ergo convulſio conſiſtit in vir-

virtutis motricis intenſiori vel inordinatâ actione, quâ fit, ut omnes muſculi rigeant, vel aequilibrium inter antagoniſtas tollatur.

4. Cauſſae convulſionum itaque ſunt omnes illae, quae nervos irritare valent; quae in binas diſpeſcuntur claſſes, prout vel cerebrum vexant; vel nervos inde provenientes, in loco quovis ab eorum origine diverſo: hinc non inutilis oritur convulſionum in idiopathicas & ſympathicas diſtinctio.

5. In idiopathicâ convulſione ſingulare hoc eſt, & fere perpetuum, ut, in quo latere cauſſa haeret, in eidem oppoſito muſculi convellantur; ceterum utramque ſpeciem provocant acria quaevis; omnes dolorum cauſſae; nimia & repletio & evacuatio; verbo, irritamenta quaevis, praeſertim in praediſpoſito ad id morbi genus ex irritabilitate corpore.

6.

6. Convulſionum ſemper quidem aliquod periculum, ſaepe ingens & quidem ob inſignem vim quam muſculis, oſſibus, vaſis, viſceribus, ſed in primis cerebro inferunt: idiopathicae, generales, tetanus, faciëi muſculos invadentes, exhauſto corpori accidentes maxime metuendae: quae febrilem motum praecedunt, vel ei ſuperveniunt, utraeque dubiae: fit tamen ut & ſemet, & alia mala ſanent convulſiones.

7. Praeſens paroxyſmus diſcuti nervinis debet; extra vero eum, ad cauſſas attendendum, neque enim univerſale remedium cognitum eſt: in idiopathicâ ſequentia laudantur, ex quibus aptiſſimum ſeligi debet; V. S.; arteriotome; purgantia; clyſmata; emetica; fomenta; cataplasmata; epiſpaſtica; veſicatoria; fonticuli; ſetacea; cauteria; trepanum; ſialagoga; nervina; ſudorifera: in ſympathicâ evacuantia aliquando;

ali-

aliquando roborantia; ſaepe corrigentia; involventia; haud raro etiam auxilia chirurgica conducere obſervantur.

CAPUT XXVI.

De Melancholiâ nervoſâ & hyſterico morbo.

§. 1.

Melancholia nervoſa morbus eſt nervorum, natus ex animi pathematibus, absque cauſſa materiali in corpore.

2. Dignoſcitur ex mentis alienatione melancholicae ſimili, praeſentibus interim ſimul ſignis ſpaſmodici mali, absque eo ut adſint indicia atrabilariae aut hypochondriacae.

3. Natura mali ſimilis eſt ei, quae con-

convulſionum; eam autem excitant inprimis violentiores animi affectus; intenta etiam meditatio; intermiſſa exercitia.

4. Morbus eſt per ſe non adeo periculoſus, cum vero diu plerumque duret, metus eſt, ne in alios, periculoſos magis, capitis morbos abeat.

5. Cavendum hic ab omni multum debilitante remedio; roborantibus antiſpaſmodicis junctis nervorum debilitati & atoniae fibrarum ex ſpaſticâ tenſione oriundae occurrendum.

6. Paſſio hyſterica vel hypochondriaca morbus eſt nervorum, in eo a priori diverſus, quod cauſſam materialem agnoſcat, ſaepe latitantem vel in utero, vel in viſceribus hypochondriacis.

7. Symptomata varia ſunt; notabi-

bilia maxime, ſenſatio inſolita frigoris, calorisque in variis corporis partibus alternantium; dolores vagi; ſuffocationis ſenſus; animi deliquia; convulſiones, catalepſis & tetanus; flatus, borborygmi; appetitus proſtratus, vel contra acris fames; celeris & magna evacuatio urinae excoloris; aſthma & tuſſis ſpaſmodica; cordis palpitationes; pulſus inconſtans; cephalalgia periodica ſaepe, clavus; vertigo; amauroſis; incubus; riſus, fletus; animi dejectio.

8. Cauſſae remotae (proxima enim ſic dicta, ſive indoles morbi, iterum eadem, quae Cap. 5. deſcripta legitur) ſunt evacuationes ſuppreſſae; primarum viarum vitia; alimenta copiâ vel qualitate nociva; obſtructiones viſcerum abdominalium; vehementia animi pathemata.

9. Malum hyſtericum & hypo-

chondriacum recens quidem facilius curatur, quam inveteratum, quod ſaepe in pejores convulſivos, cachecticos, vel hydropicos morbos abire deprehenditur.

10. Ad curam requiruntur ea, quae nervoſum ſyſtema roborant; tum quae peccanti cauſſae, pro indole, medentur; ſymptomata autem ſedantur, per nervina, foetida vulgo antihyſterica dicta, & opiata.

CAPUT XXVIII.

De Epilepſiâ.

§. 1.

Epilepſia eſt motus convulſivus plerorumque corporis muſculorum, cum ſubito hominis in terram prolapſu, ſenſibusque tam internis quam externis, vel pro tempore plane ſublatis,

tis, vel plurimum ſaltem imminutis.

2. Imminens morbus ſaepe praevidetur, ex praegreſſis vertigine; tremore; tendinum ſubſultu; oculorum caligine; ſcintillis; aurium ſuſurru; cephalalgiâ; vigiliis, vel ſomno profundiore; ſtupore; iracundiâ; metu; genarum colore roſeo; cordis palpitatione; appetitu ſubito aucto, vel proſtrato, inſomniis turbulentis; temporum vibratione; oris foeditate; priapismo; inſolitâ ſalacitate; urinis crudis; & ex fixo tempore, quo paroxysmus redire ſolet.

3. Malum epilepticum non aliud eſt, quam ceterae convulſiones, C. 5. §. 3. quae in hoc morbo ad bene multos muſculos, eosque tam internos, quam externos ſeſe extendunt.

4. Cauſſarum doctrina peti debet

ex illis, quae de convulſionibus dicta ſunt: haereditaria ſaepe eſt epilepſia; dubium an detur contagioſa: idiopathica autem producitur illis cauſis, quae ipſum adficiunt cerebrum; ſympathicam generant, quae ſtimulo in alias partes agente, per conſenſum cerebrum vexant: utriusque quidem cauſſae innumerae ſunt: hujus vero frequentes admodum, ventriculi, inteſtinorumque morbi; nec non genitalium functionum impedimenta.

5. Epilepſia ſemper curatur difficulter, imo curari aliquando negat; lente aliquando, aliquando citius occidit: hereditaria, idiopathica, & inveterata peſſimae.

6. Cura jubet; 1. imminentem paroxysmum avertere; 2. praeſentem tollere vel mitigare; deinde 3. novi inſultum praecavere: prius fit, cauſſas tollendo; aliam irritatio-

 nem

nem nervis inducendo; humores a capite revellendo; aliquando & ligaturis: alterum ſtimulantibus naribus ſuppoſitis; & proſpiciendo partibus, quae vi convulſionum poſſent laedi.

7. Novi denique inſultus praecaventur, indagatas cauſſas, ſi fieri poſſit, tollendo & ſic malum eradicando; quod cum ſaepe fieri non poſſit, ad prudens remediorum antiepilepticorum tentamen deveniendum.

CAPUT XXVIII.

De Hydrophobiâ.

§. 1.

Hydrophobia, a primario ſymptomate, vocatur ille morbus, qui oritur a morſu animalis rabidi.

2. In homine demorſo plerumque citius tardiusve haec comparent phaenomena: dolor in parte laeſâ; gravitas corporis aucta videtur; triſtes aegri fiunt, iracundi, anxii, commercium cum aliis evitant; minuitur appetitus; difficilis fit fluidorum deglutitio; potum averſari incipiunt, ſi haurire conantur convelluntur; ad adſpectum & mentionem ejus horrent & anguntur vehementer; vomitus non infrequens; ſingultus; corporis jactatio, vigiliae; ſalivae, quae deglutiri nequit, exſpuendae in adſtantes conatus etiam invitus; priapismus, ſatyriaſis; vox rauca; ſudor frigidus; paralyſis; mors.

3. Cauſſa materialis eſt venenum a rabido animali cum ſano communicatum: hoc vero quale ſit, & quamnam exſerat vim, non ſatis liquet; in initio mali nervos, ſi non ſolos, ſaltem plurimum pati, veroſimile admodum eſt.

4.

4. Homo ab animali vere rabido demorſus in ſummo diſcrimine verſatur: latentia adhucdum veneni effecta praecaveri aliquando potuiſſe, praeſentia vero, praeſertim accedente jam hydrophobiâ; rariſſime fuiſſe ſublata, ex obſervatis colligendum.

5. Cura itaque eſt vel prophylactica, vel therapeutica: prior jubet venenum expellere vel corrigere; quod utrumque fit, vel externis remediis vulnus irritantibus, eluentibus & depurantibus; fonticulis, ſetaceis, veſicatoriis; ſubmerſione in aquam; vel internis purgantibus, emeticis; clysmatis; ſudoriferis; diureticis; dum, quae corrigere venenum dicuntur in primis lichen cinereus terreſtris; vermes majales; turpethum minerale; oleum animale Dippelii omitti non debent.

6. Therapeutica plerumque fru-

ſtranea eſt, nec negligenda tamen; V. S. repetitâ debilitetur homo; tumque aquis ſubmergatur, aut in eum, bene, ne ſibi aliisve noceat, ligatum, aqua conjiciatur; clysmata ſalſa injiciantur copioſiſſime; cucurbitae ſcarificatae collo admoveantur; veſicatoria vel emplaſtra antiſpasmodica & opiata eidem applicentur.

CAPUT XXIX.

De Catalepſi.

§. 1.

Catalepſis morbus eſt, qui ex improviſo hominem invadens, illum ſervat in eodem ſtatu, in quo eſt, dum morbo corripitur, rigidum & quaſi congelatum.

2. Membra in hoc morbo vel fle-

flecti negant, vel flexa eam retinent, quam flectendo concilias figuram; oculi fixi ſunt, aperti, nec tamen vident aegri; nec audiunt; nec loquuntur, reſpiratio paulo profundior; pulſus debilior paulo; ad ſe redeuntes, quid contigerit, ignorant: fatendum autem, non eadem omnibus accidere ſymptomata.

3. Conditio morboſa videtur eadem, quae ceterarum convulſionum, ſed ſolas turbans actiones animales.

---

4. In praedispoſitis hunc morbum provocat evacuationum ſuppreſſio; fixatum in unum objectum ſtudium; ſubitanea & gravia animi pathemata; febres; vini abuſus; graves delaſſationes; eryſipelas male curatum; maxime autem vermes in inteſtinis.

5. Gravis morbus eſt, & pertinax

& in alia ſaepe capitis mala, ſaepe in atrophiam abit.

6. Ad curam, tam in ipſo paroxyſmo, quam extra eundem, cauſſarum diagnoſis neceſſaria maxime eſt: & ſic aliquando ſanguinis evacuationes; aliquando purgantia, & emetica; frequenter admodum antihelmintica; ſaepe ulcera artificialia; tum denique ea, quae modice nervos irritant, vel concutiunt, convenire videmus.

CAPUT XXX.

De Incubo.

§. I.

Incubo laborat homo, qui dormiens dyſpnoeâ, voce praepeditâ, corporis immobilitate, & ſenſu rei graviter prementis, ac ſuffocationem minitantis, prehenditur. 2.

2. Accedunt porro ſaepe, ideae terribiles; nec non imaginatio exercitae veneris; ſubita expergefactio; tremor; pallor; rubor; palpitatio cordis; anxietas; imo ipſa interdum ſuffocatio.

3. Status morboſus, unde haec ſymptomata derivanda ſunt, videtur nimia ſanguinis in cerebro & pulmonibus collectio & remora.

4. Cauſſae morbi ſunt, quae ſanguinis vel volumen, vel molem, vel craſſitiem augent; eive acrimoniam conciliant; aut vaſa rigida reddunt, eave comprimunt, vel ſpaſmo conſtringunt.

5. Malum hoc, ſi grave eſt, ab internâ cauſſâ ortum, in corpore cacochymo, frequenterque redit, periculoſum eſt, & in graves ſaepe capitis morbos abit.

6. Cura duplex eſt, in paroxyſmo, & extra eundem; prior jubet e ſomno aegrum excitare, &, ſi vel tunc perdurent ſymptomata, vel V. S. vel clyſmate vel antiſpaſmodicis fuganda; poſterior cauſſam remotam cognitam ſuis remediis profligare praecipit.

CAPUT XXXI.

De Morbis ſoporoſis.

§. 1.

Morbi ſoporoſi ſunt, in quibus aegri ex cauſſâ praeternaturali immodice dormiunt.

2. Conſiſtunt illi in impedimento facultatis ſentiendi movendique, imminuente vel plane tollente actiones omnes voluntarias, vigilanti proprias.

3.

3. Cauſſae illud producentes ſunt, omnes illae, quae poſſunt facultati illi languorem inducere; eam opprimere; vel ejus commercium cum reliquo corpore ſuſpendere: ut ſunt, ſolidorum torpor; tarditas circulationis; plethora; obeſitas; inflammationes; injuriae encephalo illatae; opium; ſpiritus fermentati; venena.

4. Omnes morbi ſoporoſi periculo pleni ſunt; ſaepe prorſus inſanabiles; dantur tamen, quos imminentes praecavere, dantur quos praeſentes aliquando feliciter abigere licet.

5. Horum nunc quatuor numerantur ſpecies; carus; coma ſomnolentum; lethargus; & apoplexia; quae cum intenſitate cauſſae & ſymptomatum potiſſimum discrepent, ſolâ apoplexiae indagatione ſatis dignoſcentur.

CAPUT XXXII.

De Apoplexiâ.

§. 1.

Apoplexia eſt ſubita & inopina ſenſuum externorum & internorum motuumque voluntariorum abolitio; cum reſpiratione ſtertoroſa; pulſu plerumque duro; & imagine ſomni profundi.

2. Morbum hunc, de cujus indole egimus Cap. 31. §. 2. producunt variae cauſae; quâ autem illud fiat ratione ex ejusdem Cap. 31. §. 3. confici debet; ſunt autem praecipuae, compreſſiones vel obſtructiones carotidum; tumores capitis interni; humorum effuſio ſub cavum calvariae; ſanguis phlogiſticus, pituitoſus, polypoſus; magnum caput,

put, breve collum; obeſitas; plethora; temperies calida; lautius vitae genus; balneum frigidum calido corpori admotum; venarum jugularium compreſſio; aſthma; peripneumonia; ſuppreſſae evacuationes materiae morboſae; injuriae capiti illatae; denique varia venena.

3. Ex hisce nunc cauſſis praegreſſis imminere colligimus apoplexiam; ſi accedant inſolita corporis gravitas, laſſitudo & in ſomnum proclivitas; vertigo; ſcintillae ante oculos, incubus; inſomnia; aurium tinnitus; jugularium venarum tumor; rubor faciei; corporis tremor; vox tremula & interrupta; mentis alienatio; oblivio; cephalalgiae; vomitus.

4. Fortem apoplexiam ſolvere impoſſibile eſt; debilem non facile; ſemel fugata redit tamen frequentius; in alium morbum ſaepe terminatur; bene ominantur haemor-

morrhoides; menſes; ſalivae, ſudorisque craſſi, copioſi, calidi fluxus; urinae largior copia; alvus fluxa ſine inteſtinorum paralyſi; febris dubia eſt.

5. Cura ob diverſitatem cauſſarum jubet, ut per ſingulas ſpecies eamus, quae & ſua habent ſigna, quibus dignoſci poſſunt; neque enim datur ſpecificum antiapoplecticum.

6. Sanguinea cognoſcitur ex plethora, ejusque ſignis & praegreſſis cauſſis; ut ex ſuppreſſâ evacuatione ſanguineâ; ex febre continuâ acutâ; cephalalgiâ cum calore; ex rubore & tumore capitis; oculis rubris; urinâ rubrâ; venis turgidis; inſomniis de rebus rubro colore tinctis: curatur V. S. largiſſimâ plus ſemel iterandâ; arteriotome; cucurbitis ſcarifatis occipiti admotis; hirudinibus; clysmatibus; frictionibus, pediluviis; epiſpaſticis; veſica to-

toriis; dein antiphlogiſticis internis; nitroſis; eccoproticis.

7. Polypoſa apoplexia cognoſcitur, ex frequenti cordis palpitatione; vibratione vaſorum in collo; pulſu irregulari; vertigine; dyſpnoeâ; quae omnia aucto corporis motu, aerisve calore augentur: haec ſanari, poſſe vix videtur; imminens forte per V. S. avertitur; in nitro, camphora, ſaponaceis forte aliquod praeſidium.

8. Ab effuſo ſanguine natam eſſe apoplexiam conjicimus, ex cauſſis praegreſſis, & ſubito admodum morbi inſultu: cura obtinenda per largam V. S., clysmata purgantia, emplaſtra, fomenta diſcutientia, terebrationem cranii.

9. Apoplexiam pituitoſam diſtinguimus, ex aetate; temperie; rerum non naturalium vitio; quod pitui-

tam generare valet; evacuatione pituitae ſuppreſſâ; capite gravi, tenſo; inſomniis, quibus aquâ vel nive ſuffocari ſeſe cenſet aeger; tumore variarum partium molli: in hac ſpecie rarior V. S. locus eſt: proſunt hîc (magis tamen prophylacticâ quam therapeuticâ vi) omnia ea, quae ſtimulo ſuo motum excitare majorem poſſunt; ſive extus applicentur, ſive exhibeantur intus.

10. Atrabilaria, arthritica, ſcorbutica apoplexia cognoſcitur & curatur, bene obſervatis illis, quae in hiſtoriâ illorum morborum, quorum nunc materia ad cerebrum determinatur, tradita ſunt.

11. Apoplexia per venena inducta non, niſi ex antecedentibus cognoſci poteſt: curari non poteſt, niſi expellatur vel infringatur venenum, quod in apoplectico vix prae-

ſta-

ſtari poteſt: hinc unicum in prophylaxi praeſidium.

CAPUT XXXIII.

De Comate vigili.

§. 1.

Coma vigil eſt ſomni ac vigiliarum alternatio, quae nec dormire, nec recte vigilare ſinit.

2. Raro ſolum hoc malum adeſt; frequens autem ſymptoma conſtituit morborum, in quibus dolor, anxietas, delirium eſt; aegri dormientibus ſimiles jacent, nec dormiunt tamen tranquille, ſed oculos ſaepe aperiunt, quos denuo claudunt, mox eos iterum aperturi.

3. Obtinere hic videtur alternans ſenſorii communis oppreſſio, & ir-

ritatio: cauſſae inprimis illae, quae & opprimere & irritare illud poſſunt; quorſum ante omnes inflammatio pertinet: unde ſimul ingens morbi periculum colligitur.

4. Cura indicatur antiphlogiſtica; V. S., clyſteres, veſicatoria, epiſpaſtica, diluentia, laxantia, nitroſa, camphorata, fomenta, adhiberi debent.

CAPUT XXXIV.

De Paralyſi.

§. 1.

Paralyſis eſt partis cujuscunque immobilitas, cum flaccidâ fibrarum motricium inertia.

2. Paralyſin cognoſcere facile eſt: notandum autem frequentiſſime & ſen-

ſenſum & motum in parte paralytica deficere; fit autem & ſaepe, ut ſuperſtite ſenſu, deficiat motus; prior conditio paralyſis exquiſita, poſterior imperfecta dicitur.

3. Conſiſtit hic morbus in facultatis motricis exſtinctione, quae quidem debetur multiplici vitio, 1. cerebri, nervorumque, quo horum vis deficiat, aut illius commercium cum fibris motricibus tollatur; 2. ſyſtematis circulatorii, ita ut vitales humores in organa motus influere impediantur; 3. fibrarum muſcularium, quo ad motum ineptae fiunt.

4. Ad primam claſſem cauſſarum referenda, cerebri impedica evolutio, apoplexia, convulſiones, omnes cauſſae cerebrum nervosque comprimentes, vulnerantes, ſolventes: ad ſecundam pertinent, profuſae evacuationes humorum naturalium, aut evacuandorum retentio,

humorum extravaſationes: ad tertiam denique dolores vel vehementes, vel leviores diu tolerati, graves injuriae muſculis illatae, frigus diuturnum, calor humidus inprimis, venena multa, ut arſenicum, antimonium, flos calcis recentis, plumbum, mercurius.

5. In prognoſi notandum; quo nobiliores partes afficiuntur, eo malum eſſe periculoſius; tum & ubi a valido corporis concuſſu, a nervis praeciſis vel ſcirrho ipſos comprimente, vel ab apoplexia praegreſſa oriatur paralyſis: male porro ominatur amiſſa nutritio & calor, convulſio partis oppoſitae, oculi in latere reſoluto imminutio: diarrhoea dubia eſt: ſed meliora pollicentur corpus juvenile, aeſtas, ſuperveniens febris, malum non plane perfectum.

6. Non eadem omnis paralyſeos

cura eſt: ubi oppreſſa per plethoram, vel inflammationem, movendi facultas eſt, V. S. & cetera antiphlogiſtica remedia conveniunt; ſin vero nimiae inanitioni morbus debeatur, nutrientia, vinoſa, amaricantia danda, cum levi corporis motu & frictione; quod ſi apoplexia vel convulſiones paralyſin excitent, ſolvendi per debita remedia illi morbi, in quibus, ubi nihil eſt quod prohibeat, remanenti malo ſuccurrendum eâdem methodo, quae indicatur, ubi cauſſae praegreſſae fuerint colluviem pituitoſam excitantes; nempe dari intus debent aromatica, antiſcorbutica, gummata foetida, ſalïa, ſucci animalium ſtimulantes, praeparationes foſſilium reſolventes, purgantia; imo vero, niſi contra indicet encephali conditio, emetica aliquando & ſternutatoria; externe ſimilia commendabimus; veſicatoria, frictiones, cucurbitas, urticationes, ſudationes,

electricum ſtimulum; diaeta ſicca ſit & calida.

CAPUT XXXV.

De Amauroſi.

§. 1.

Amauroſis eſt caecitas, vel plena vel minus perfecta, ſine ullâ manifeſtâ cauſâ, in oculis adparente.

2. Adeſt caecitati frequenter pupillarum dilatatio, atque immobilitas, abſentibus interim aliis oculorum adfectorum ſignis.

3. Conditio morboſa hîc eſt inſenſilitas proximi viſus organi.

4. Ex multis cauſſis non infrequentes; primarum viarum vitia, plethora, cacochymia, humores extra-

travaſati, vis quaevis encephalo illata, tumores cerebrum prementes, metaſtaſes materiae morboſae, evacuationes vel nimiae vel ſuppreſſae, nervorum debilitates, narcoticorum uſus.

5. Prognoſis dubia: malum ſaepe inſanabile eſt; aliquando non niſi lente, ſed & aliquando citiſſime obtinetur cura.

6. Cura pro diverſitate cauſſarum eligenda, quarum varietas regulas generales condere vetat: V. S. cathartica, emetica, ſudorifera, diuretica; ſialagoga, attenuantia, veſicatoria, fonticuli, ſetacea, pediluvia, emmenagoga, haemorrhoidas provocantia, motus mechanicus, electricitas, trepanatio, oculorum ſcarificatio, prudenti medico ſeligendi materiem abunde offerunt: ſublato autem malo roborandae per interna externaque debiliores fibrae.

CAPUT XXXVI.

De Ophthalmiâ.

§. 1.

Ophthalmia vocatur inflammatio, unius pluriumve tunicarum oculi.

2. Variae diſtinguuntur ſpecies, vel a loco adfecto; unde externa, interna; vel a ſymptomatibus conjunctis; unde humida, ſicca, τάραξις, φλήμωσις, χήμωσις, ἐκτροπὴ, periodica; vel denique a cauſſae diverſitate; unde vera, notha, epidemica, contagioſa, ſcrophuloſa, venerea, catharroſa, eryſipelatoſa; quae quidem in cura uſum habent.

3. Cauſſa ſic dicta proxima vel conditio potius morbi eſt ſtagnatio ſanguinis, in vaſis arterioſis oculi, cum majori in ſtagnantem materiem impetu.

4.

4. Praeter ea, quae ad inflammatorios morbos diſponunt, cauſſam illam proximam inducunt, omnia illa, quae oculum irritare valent; alimenta acria; primarum viarum ſordes; vigiliae protractae; capitis nimia exercitia; excretiones ſuppreſſae vel nimiae; contagium; conſenſus.

5. Malum hoc eosdem eventus ſortitur, quos omnes inflammationes; reſolutionem faciliorem promittunt, cauſſa externa, ophthalmia humida, vaga ex uno oculo in alterum, quaeque largiorem vel ſanguinis vel alvi evacuationem ſuccedentem habet; ſolvitur aliquando febre: imo ipſa ophthalmia praepediti viſus remedium eſſe poteſt.

6. Noſſe ad curam oportet, in quo ſtadio morbus haereat, tumque illa ita dirigi debet, ut & ſuppuratio & gangraena avertantur: ad

pro-

promovendam autem reſolutionem, requiritur 1. ut ſanguinis ad oculum affluxus infringatur; 2. ſtagnans materia reſolvatur; 3. acrimonia temperetur; 4. ſymptomata mitigentur; 5. vaſa prudenter dein, abacto morbo, roborentur.

7. Praeſcripto cibi aërisque uſu, qualis adverſus inflammationes valet, venae depleri debent, ſectione in brachio vel pede, fronte, jugulo, adnataeve ſcarificatione, vel ſanguisugis; quo facto pediluviis, veſicatoriis, cauteriis, ſetaceis, fonticulis, auricularum perforationi, ſialagogis, ſternutatoriis, aliquando locus eſt: nec omittenda cathartica, diuretica, nitroſa, diluentia, reſolventia.

8. Topica nunquam danda, niſi praegreſſis aliis remediis, tumque formâ potius liquidâ, abſtinendo ab acribus omnibus: cum autem vel repel-

pellant vel reſolvant, vel dolorem leniant, probe attendendum eſt ad ſtadium, in quo verſatur malum.

9. In initio ophthalmiae a cauſſâ externâ ortae prudenter repellendum eſt intercipientibus; collyriis; fomentis; unguentis leniter adſtringentibus, vitriolatis; pertinaci autem vel provectiori malo occurrendum diſcutientibus; ſin dolor valde enormis eſt, leniendus ille lacte, mucilagineis, croco, camphorâ.

CAPUT XXXVII.

De narium Haemorrhagiâ.

§. 1.

Copioſum & celerem ſanguinis e naribus effluxum haemorrhagiam; lentum vero & guttatim factum, ſtillicidium narium vocamus.

2. Cauſſae ſunt vel internae vel externae; internae vel in ſanguine, vel in vaſis, vel in utrisque haerent; ſanguis peccare poteſt copiâ, motu, vel qualitate; vaſa peccant laxitate, vel comprimuntur, obſtruuntur, eroduntur; externae ſunt omnes illae, quae extra corpus noſtrum haerentes, vel ſanguini, vel vaſis, talem conditionem conciliant.

3. Harum nunc cauſſarum indoles diverſa ac ſedes notabilem haemorrhagiarum differentiam producit; alia enim ex arterioſo vaſe eſt, ex venoſo alia; alia ex cavo narium, ſinubus, antrisque calvariae; alia ex ipſo hujus cavo fit.

4. Haemorrhagia narium ſemper morboſa non eſt; ſaepe ſalutare graviorum malorum remedium; morboſa autem aliquando ſatis facile curatur; aliquando magis periculo-

ſo-

ſorum morborum cauſſa eſt; aliquando lethalem eventum habet; ſaepe lente, ſed & nonnunquam ſubito ſatis: peſſime ominantur ſuccedens convulſio, ſingultus, delirium, extremorum frigus.

5. Ad curam requiritur primo, cauſſam quae haemorrhagia concitavit tollere; ſecundo, vaſa aperta obſerare: notandum autem 1. in criticâ aut ſpontaneâ narium haemorrhagiâ, quae nimia non eſt, nihil eſſe agendum; 2. ſi ſanguis in corpore deficiat & impetuoſe fluat, ſecundae etiam indicationi, ante priorem, eſſe ſatisfaciendum, quod in caſu plethorae aut ſuppreſſae evacuationis, aut acuti morbi, ſumme eſſet noxium.

6. Primae indicationi vario quidem modo ſatisfit; in plethoricis cauſſa tollitur V. S., tum & ſuppreſſam, ſi quae forte ſit, evacuationem revo-

vocando; ſi nimius peccet ſanguinis motus, revellens V. S. & pro uſu interno aquoſa, acidula, refrigerantia, nitroſa, eccoprotica, ſimiliaque extus, ſed prudenter admota conducunt; ſi qualitate cruor peccet, acre corrigendum eſt, in quo caſu frequentiſſime vitrioli ſpiritus convenit, rarius vero alcalina; neque in tali caſu lenia evacuantia nocent.

7. Secundae indicationi ſatisfaciunt remedia interna & externa; inter priora, in adſtringentibus aliis, laudatur pulvis *Helvetii*; externa vaſis ſpasmum inducunt, vel ea ſtringunt, vel obturant; prius fit, ope frigoris ſubitanei, partibus vel toti corpori admoti, aut terroris incuſſi, nimis tamen ancipitis; alterum, liquorum adſtringentium; tertium denique plaſticorum, ad vaſa ſanguinem fundentia admotorum, efficaciâ.

C A-

CAPUT XXXVIII.

De Aphthis.

§. 1.

Aphthae ſunt exiguae papulae, oriundae a materiâ viſcidâ, haerente in extremo ductuum, qui ſalivam in os infundunt, eorumque, qui humorem ſimilem internis viſceribus ſuppeditant, quâ epithelion elevatur: quae ubi aliquandiu perſtitere, decidunt, ab aliis ſaepe excipiendae.

2. Differunt ratione coloris; copiae, unde aliae diſcretae, confluentes aliae; exortus; loci, quem occupant; temporis, quo perſtant; modi, quo evaneſcunt; phaenomenorum lapſui ſuccedentium; indolis ſymptomaticae vel criticae; febris praegreſſae vel abſentis.

3. Omnem quidem aetatem, maxime tamen puerilem & ſenilem invadunt, in primis corpora cacochymica, ſcorbutica: febribus continuis putridis & hecticis, intermittentibus quoque, quae in continuas abierunt, junguntur; inprimis, ſi alvina evacuatio cohibita fuerit, vel & contra nimiae fuerint dejectiones: viſcerum inflammatorum, puerperii, graviditatis, vermium non infrequens conſtituunt ſymptoma.

4. Comitantur praeſentes aphthas illa ſymptomata, quae debentur obſtructis vaſculis abſorbentibus & excretoriis, partium ſiccitas; manducationis & deglutionis vitia; ſenſilitas partium multum imminuta; vox rauca, clangoſa; tuſſis; imo & aliquando ulcera mala; dilapſis vero aphthis adeſt ſenſilitas multum aucta; unde dolores, ſpaſmodici partium motus, diarrhoea, lienteria,

ria, dyſenteria, ſalivatio, ſaepiusque de novo redit malum.

5. Futuras conjicimus ex cauſſis praegreſſis §. 3. tum & ex nauſeâ, vomitu, anxietate, ponderis circa ſtomachum ſenſu, tuſſiculâ, ſingultu, ſopore, ſomnolentiâ, difficili deglutitione, frequenti ſcreatu, linguae rubore.

6. Aphthae criticae, albae, pellucidae, corpus ſatis purum, febris mitior, parva in erumpendo reſiſtentia, facilis earum, poſtquam aliquandiu perſtitere, dilapſus, quem non inſequitur nova eruptio, vel ſaltem minus denſa, meliora pollicentur, quam contraria; minus bene ominantur, quae viſcerum corruptionem junctam habent; quae gravidas infeſtant vel puerperas; peſſime, quae ſubito recedunt, cum augmento ſymptomatum.

7. Cura tribus indicationibus abſolvitur; prima jubet eruptionem omni conamine promovere, ſanguinem diluentibus, leniterque ſolventibus, iisque, quae linguae fauciumque vaſa laxant; rarus V. S. locus eſt; ſtimulantibus, ſi forte motus langueat, non niſi moderatis utendum; altera poſtulat, ut cruſtae aphthoſae lapſum procuremus diluentibus, laxantibus, ſimilibusque & leniter detergentibus externe admotis; tertia tandem, ſymptomata aphthas concomitantia & inſequentia mitigare; priora tolluntur iisdem illis, quibus ſecundae indicationi ſatisfit; quae vero aphthis ſuccedunt, ſi dilatatis vaſis debentur, adſtringentibus, ſi excoriationi, mucilaginoſis curantur: ſanato malo purgans & lene diureticum exhibendum eſt.

CAPUT XXXIX.

De Anginâ.

§. 1.

Angina dicitur ille morbus, quo faucium actio impeditur, a cauſâ, quae in iis, vel prope easdem, haeret.

2. Anginae optime diſtinguuntur, ab origine, ab affecto loco, atque cauſſae ratione: hinc diverſae anginarum ſpecies enaſcuntur; epidemica & ſporadica, κυνάγχη, παρακυνάγχη, συνάγχη & παρασυνάγχη, tandemque inflammatoria, quae & vera dicitur, ſuppuratoria, ulceroſa, ſcirrhoſa, cancroſa, gangraenoſa, aquoſa, catarrhoſa, convulſiva, paralytica, &c.

3. Angina inflammatoria ex fau-

cium dolore dignoſcitur lancinante, urente, febre continuâ acutâ, & partium tumore rubro; κυνάγχη ex inſigni anxietate, faciëi rubore, pulſu parvo, inaequali, intermittente; reſpiratione moleſtiſſimâ, voce clangoſa; febre vehementiſſimâ; mali ſitu profundo; συνάγχη vero ex taedioſâ deglutitione, cibos non detrudente; loquelae impedimento; pituitoſae materiae exſcreatione; aurium dolore & ſuſurro; malo magis conſpicuo, ſaepe quoque in exterioribus.

4. Obtinet hîc faucium inflammatio; quam provocant aëris viciſſitudines ſubito permutatae, cibi & potus actu frigidi vel qualitate calidi, motus nimius corporis integri vel faucium, febres, evacuationes ſuppreſſae, animi pathemata, metaſtaſes, aphthae; diſpoſiti autem maxime ad hanc anginam juvenes, plethorici, bilioſi, rufi.

5. Angina vera periculoſa eſt, inprimis κυνάγχη; peſſima, in quâ ſummus eſt dolor, & orthopnoea, absque rubore vel tumore conſpicuo, vel hiſce diſparentibus: exitus morbi eſt 1. in ſanitatem, reſolutione ſimplici, vel evacuatione criticâ; 2. in alium morbum, quando ſuppuratur, vel ſcirrhum facit, vel materia in aliud viſcus deponitur; 3. in mortem, gangraenâ, vel apoplexiâ, vel ſuffocatione aut inediae vi.

6. Cura mali poſtulat largiſſimam & repetitam V. S., uſum internum antiphlogiſticorum, diluentium, catharticorum; externum pediluviorum, cucurbitarum, epiſpaſticorum, veſicatoriorum, locis remotis admotorum; loco autem adfecto proſpiciendum per gargarismata reſolventia, ſimilesque injectiones, & vapores ore hauſtos, linimenta, fomenta, cataplasmata, emplaſtra

gutturi admota; hiſce irritis cucurbitae & veſicatoria ad fauces applicari debent.

7. Periculum ab impeditâ reſpiratione tuto tollit aſperae arteriae ſectio; minus gravi diſcrimini, a deglutitione prohibitâ, optime occurrunt clysmata nutrientia.

8. Anginam ſuppuratoriam praevidemus, ſi absque ullâ reſolutione phaenomena perſtant, ex vagis horripilationibus, ac dolore pulſatorio; factam vero novimus ex aliquâ ſymptomatum diminutione, ex loci adfecti majore, albicanti, & molli tumore.

9. Topica laxantiſſima hîc adhibenda, &, niſi ſponte rumpatur, abſceſſus incidi debet.

10. Angina ulceroſa, quae non ſolum praegreſſae ſuppurationi de-

be-

betur, ſed frequenter etiam venereae vel ſcorbuticae labi, in genere detergentia leniter poſtulat, tum & quae adverſus modo dicta valent mala.

11. Adverſus ſcirrhoſam, ſi tumorem ferro caute directo integrum tollere non licet, valemus nihil.

12. Peſſima quoque eſt gangraenoſa, quam dignoſcimus ex improviſâ ſymptomatum remiſſione; ex frigore; livido vel nigro colore faucium, cum pulſu debili inaequali, ſudore frigido, delirioque; in epiſpaſtico, cortice Peruviano & vitrioli ſpiritu praeſidium eſt valentiſſimum.

13. Angina convulſiva vel hyſterica, quae a convulſis faucibus oritur, cognoſcitur ex cauſſis praegreſſis, temperie, & abſentiâ ſignorum, quae alias anginas indicant:

 ejus-

ejus cauſſae, prognoſis & cura petenda ex illis, quae de morbis convulſivis ante dicta ſunt.

14. Paralytica cognoſcitur ex cauſſis praegreſſis; ex faucibus gracilibus, flaccidis, collapſis; ex faciliori ſolidorum, quam fluidorum deglutione; indoles morbi petenda ex Cap. 34.; cauſarum quoque doctrina & difficilis curae ratio inde deſumi debent.

15. Angina aquoſa cognoſcitur ex cauſſis praegreſſis; ex abſentiâ gravioris febris & caloris ruborisve, in tumore conſpicuo, qui mollis eſt, albicat, digitiſque facile cedit.

16. Eſt in hoc morbo vaſculorum, cellularum, & folliculorum in faucibus diſtentio, ex abundante materie phlegmaticâ plus minusve ſpiſſâ; atque huc faciunt omnes cauſſae, quae lympham in corpore au-

augent, tum &, quae comprimere valent, vel alio modo obſtruere vaſcula illa, & receptacula faucium.

17. Cura mali ancipitis & ſaepe, ſi epidemicum, periculoſiſſimi, obtinetur evacuando peccantem lympham, & novae incrementum impediendo; conveniunt igitur, vel purgantia, diuretica, ſudorifera fortiora; vel ſtimulantia, apophlegmatizonta; vel gargarismata ſtimulantia, ſimiliaque emplaſtra & cataplasmata; vel veſicatoria, cauteria, fonticuli, ſcalpelli; vel omnia haec ſimul; & ſanato malo gargarismata roborantia.

CAPUT XL.

De morbis Oeſophagi.

§. 1.

Morbi oeſophagi commode reducuntur ad ejus inflammationem; paralyſin; anguſtias a ſpasmo, vel tumore, vel ab infixo corpore heterogeneo; & rupturam.

2. Inflammatio oeſophagi morbi genus infrequens, tractari methodo antiphlogiſticâ debet, & lente ſenſimque deglutitis blandis mucilaginoſis, balſamicis ſine ſtimulo.

3. Paralyſis oeſophagi cognoſcitur inſpectione faucium pallidarum, collapſarum; ex aetate; ex aliis partibus paralyticis; ex cauſſis praegreſſis, quas inter praematura & frequentior venus; ex faciliori ſolido-

lidorum, quam fluidorum deglutitione; curatur aliquando, ſed difficulter, per replentia, ſtimulantia, veſicatoria, clysmata, gargarismata, irritationem electricam.

4. Spasmodicae conſtrictionis in oeſophago diagnoſis deſumitur ex aegri temperie; ex aliis motibus convulſivis; ex remittente ſubinde malo; deglutita difficulter alimenta in ventriculum devenire nequeunt, ſed moleſte cum inſigni muci copiâ rejiciuntur.

5. Cauſſae vel extra oeſophagum haerent, vel in eo; priores ſunt omnes cauſſae convulſionum ante memoratae; poſteriores variae, nimia fibrarum irritabilitas, muci defectus, acrior ſtimulus, ulcus, excoriatio, imo vero tantum non omnia topica hujus tubi mala.

6. Malum aliquando leve, ſaepe eſt

eſt pertinax admodum, & difficulter curatur; ex antihyſtericis, opiatis, fomentis, cataplasmatibus, vaporibus, maximum petimus praeſidium: reliqua petenda ex iis, quae de morbis convulſivis latius ſunt propoſita.

7. Tumor, quo oeſophagus anguſtatur, vel in ipſo ejus cavo eſt, inflammatorius, ſuppuratorius, ſcirrhoſus, cancroſus, fungoſus, tunicatus; vel extra illud, oeſophagum per θλίψιν comprimens; quorſum pertinent glandulae vicinae, mole acutae, pinguedinis copia, aneurysmata: cognoſcitur hoc malum potiſſimum uſu ſtili flexilis, cui alligata ſpongia eſt; cauſſae vero diagnoſis plerumque difficillima.

8. Varietas mali varia remedia poſtulat adverſus frequentem adeo glandularum tumorem commendantur, ſed irrito ſaepe eventu exhibetur

tur mercurius & cicuta: atrophiae ex defectu alimenti, ejus per clysmata injectione, vel in oeſophagum intruſione, cogimur ſaepe minus tuto, ſaltem minus certo occurrere.

9. Heterogeneum corpus deſcenſum deglutitorum impediens vel deprimi debet vel educi.

10. Disruptus, perforatus, aneurysmaticus oeſophagus nullam admittit medelam.

CAPUT XLI.

De Aſthmate.

§. I.

Difficilis, anheloſa, crebra, ſummo cum molimine, motuque organorum exercita & ſonum edens reſpiratio aſthma vocatur.

2.

2. Differentia aſthmatis non una eſt: deſumitur illa 1. ab intenſitate mali, hinc dyſpnoeae, orthopnoeae, & catarrhi ſuffocativi denominatio; 2. a phaenomenis junctis, ita aliud eſt cum tuſſi, eâque vel humidâ vel ſiccâ, aut ſine eâdem; 3. a cauſſâ, unde humorale aliud, aliud ſpasmodicum; 4. a tempore invaſionis, unde aſthma vel continuum eſt vel periodicum; tandem 5. a loco, quo nomine eſt vel idiopathicum vel ſympathicum.

3. In omni aſthmate eſt anguſtatio vaſorum aëra vehentium in pulmonibus.

4. Cauſſae bene multae ſunt; hinc dividuntur in illas, quae in ipſis illis vaſis haerent, & illas quae extra reperiuntur: prioris generis cauſſae agunt, vel obturando, ut omnia intus in vaſis coacervata, vel aliunde in illa delata, tum etiam tumores; vel

vel agunt conſtrictiones provocando, & huc nimia ſenſilitas fibrarum meſochondriacarum ac irritamentum quodvis acre referri debet.

5. Poſterioris generis cauſſae vaſa, quae aëra ferunt, comprimunt, ſive in pulmone ipſo haereant, ut obſtructiones quaevis, & omnis generis tumores, ſive extra pulmonem, in thorace vel abdomine; quo pertinent tumores notabiles in partibus continentibus, vel contentis, utriusque cavi; graviditas; humores effuſi, mala conformatio.

6. Aſthma morbus eſt curatu difficillimus, ſaepe incurabilis, ſaepe majoris mali prodromus; hereditarium, continuum, inveteratum peſſimum; contra pedum tumor, haemorrhoïdes, cutaneae eruptiones ſaepe fauſta praeſagiunt.

7. Aſthma humorale durante pa-

roxyſmo exigit 1. preſſionem in vaſa infarcta minuere, aliquando per V. S., frequentius clyſmatibus, catharticis, emeticis, veſicatoriis, pediluviis; 2. materiem obſtruentem reſolvere & expellere per dulcia, etiam ſpirituoſis mixta, tum per pectoralia incidentia; tenuior vero materia mucilaginoſa involventia indicat.

8. Extra paroxyſmum cauſſae regeneratio eſt avertenda; craſſior igitur vel in ſanguine vel in pulmonibus adhuc reſidua materia incidi & expelli debet; quem in finem arum, ſquilla, nicotiana, pix navalis, antimonium, gummata, aliaque reſolventia laudantur; tenuior vero expelli ſudoriferis, diureticis, catharticis, veſicatoriis, fonticulis, ſetaceis; pulmo interim corroborari debito corporis exercitio, ac inſpiratis balſamorum effluviis debet, atque aëre utendum puro, ſicco, campeſtri.

9.

9. Aſthma ſpasmodicum, ſi a nimiâ pulmonum ſenſilitate oritur, antihyſterica & opiata, taliaque, quae pulmonem roborant, poſtulat; ſin vero ab acri irritante, involventia danda ſunt, & expellentia.

CAPUT XLII.

De Pleuritide.

§. 1.

Pleuritis eſt dolor thoracis punctorius, in inſpiratione auctus, cum pulſu celeri & duro.

2. Pleuritis diſtinguitur pro diverſitate loci adfecti in ſuperiorem & inferiorem, in ſimplicem & pneumopleuritidem; pro variis ſymptomatibus, in ſiccam & humidam; pro diverſâ cauſſarum & morbi indole in idiopathicam & ſymptomati-

ticam, in veram & ſpuriam, epidemicam & ſporadicam, benignam, malignam & contagioſam.

3. Eſt ergo pleuritis pleurae inflammatio.

4. Cauſſae proëgumenae ſunt; aetas adulta, ſexus virilis, ſtricta vaſa, plethora, rarior acidi eructatio, praegreſſa pleuritis; procatarcticae, aëris viciſſitudines, expoſitio corporis calidi ad auram frigidam, cibi potusque actu frigidi, qualitate calidi, nimius motus, excernendorum ſuppreſſio, vermes, materiae morboſae metaſtaſis.

5. Periculum a ſymptomatum vehementiâ determinatur, quae ſi major, tantum non ſemper in pleuropneumoniam abit, aetas minus provecta, urinae copioſae rubrae laeve ſedimentum, parotidum larga & facilis ſuppuratio, haemorrhoïdes,

des, larga narium haemorrhagia, ſudor copioſus, calidus, aequabilis bene ominantur; contraria male; alvi excretio & vomitus, ſternutatio, ac tempus morbi dubia; in pleuropneumoniâ ex ſputis prognoſin quoque formamus.

6. Poſtulat morbi indoles curam citiſſime adminiſtratam, antiphlogiſticam, internam & externam; opus eſt repetitâ V. S., diluentibus, refrigerantibus reſolventibus, nitroſis, acidiuſculis, ſaponaceis, in malo nimirum ſimplice; (in pleuropneumoniâ tractari malum debet ut peripneumonia) externe linimenta, unguenta, emplaſtra, vapores, fomenta, primo initio leniter repellentia, dein reſolventia conducunt, quibus non juvantibus, in veſicatorio loco etiam dolenti admoto inſigne ſolamen eſt; ante omnia bene notandum, naturae, ſi quid critici moliatur, reſiſtendum non esſe;

ſe; reſoluto malo leni utendum eccoprotico.

7. Ita plerumque ſatis feliciter reſolvitur malum, ſi ſimplex nec vehementiſſimum fuerit, quod niſi fiat, abit in ſuppurationem, gangraenam, vel & ſcirrhum; ſuppuratio praevidetur, ex medicinâ neglectâ vel perverſe adminiſtratâ; ex nullâ ſymptomatum imminutione; factam novimus ex vagis horripilationibus, ex dolore perpetuo, ſed mitiori, ex febre minus acutâ, ex dyſpnoeae incremento; abſceſſus vel intra cavum thoracis disruptus empyema facit, vel feliciſſime exteriora verſus prominet; vel pus aliorſum transfertur.

8. Suppuratio ita promovenda, ut apoſtema extrorſum determinetur: motus febrilis temperari debet, loco dolenti laxantia prius, dem veſicatoria, cucurbitae, cauſtica admo-

moveri; integumenta incidi; & tumor mox atque apparet aperiri; ſanguis ſab acri purulento defendi; & arte chirurgicâ ulcus ſanari.

9. Gangraenae futurae metum incutit vehementia ſymptomatum, corpus ſtrictum, cacochymum, remedia nimis calida; praeſentem docent ſubita doloris remiſſio, cum pulſu celeri & parvo, delirio, anxietate, ſudore frigido, colore lateris adfecti ſubinde livido vel nigro; praeſens malum nulla medicina ſanat, neque in imminente avertendo videmur plus valere.

10. Scirrhoſa durities dyſpnoeam producit, quam ſanare poteſt nemo.

CAPUT XLIII.

De Peripneumoniâ.

§. 1.

Peripneumonia vera morbus eſt, qui dignoſcitur ex reſpiratione parvâ, anxiâ, dolorificâ plus minusve, accedente febre continuâ, acutâ, pulſu celeri, prius ſatis duro, dein molliori.

2. Accedunt frequenter faciëi & genarum rubor, oculorum protuberantia, venarum jugularium dilatatio, leve delirium, ſomnolentia, cordis palpitatio, animi deliquium, tuſſis ſicca vel humida.

3. Nihil aliud igitur eſt, niſi veri nominis in pulmone inflammatio.

4. Cauſſae proëgumenae ſunt omnes

nes illae, quibus corpus ad inflammationes diſponitur reliquas; nocet autem potentia aëris peccantis qualitate cognitâ, viciſſitudine inprimis, & acriorum effluviorum ſtimulo, tum etiam incognitâ; nocet cibus ac potus acer, & remedia ſimilia; motus vehemens totius corporis, validiusque juſto pulmonis exercitium; excretiones ſuppreſſae; animi pathemata; ſanguis phlogiſticus.

5. In hoc morbo periculoſiſſimo ſane, metuendum a ruboribus in pectore; frigore; ſputis vel nullis, vel meracis, viridibus, pallidis, ſpumoſisque; urinâ prius craſſâ, dein tenuiore; praerubro ſanguinis ſtillicidio; haemoptyſi; inſenſibilitate; delirio, καρφολογία; ſternutatione, diarrhoeâ plerumque; febre die ſeptimo non demittente vel redeunte; melius ominantur ſputa copioſa, flava, cum tantillo ſanguinearum ſtriarum mixta, craſſa; tum & uri-

nae copioſiſſimae, cum ſedimento primum rubro, dein albicante; larga narium haemorrhagia, & ſudor, juſto accedentes utilis criſeos tempore.

6. In curandâ peripneumoniâ omni molimine reſolutionem promoveat medicus, ne in ſuppurationem, gangraenam, ſcirrhumve cedat malum; naturae itaque excretionem alicubi intendenti, vel hîc illîcve abſceſſum formanti auxilietur medicus; ceterum morbum adhucdum reſolubilem ſatis cito V. S. etiam repetitâ, antiphlogiſticis leniter reſolventibus, deinde bechicis, ſimilibusque externe applicitis fomentis, cataplasmatis, vaporibus aggrediatur.

7. De ſuppuratione pulmonis mox erit agendum ex profeſſo: gangraenae ſigna priori capite ſunt allata; eam ſanare non licet, ut neque ſcir-

ſcirrhum, quem, quamvis moleſte, aliquamdiu perpeti aeger poteſt.

8. Peripneumonia notha fallaciſſimum malum levi laſſitudine & debilitate, levi pectoris oppreſſione ſubrepit; dein ſequuntur horrores & levia febriculae indicia, atque tunc citiſſime increſcentem debilitatem & anhelitum excipit inopina mors.

9. Pituita lenta pulmones in hac mali ſpecie ſenſim obſtruit, ad quam diſponit aetas ſenilis, temperamentum pituitoſum, frigidum, frequens gravedo; procatarcticae vero cauſſae ſunt calorem ſubito excipiens frigus, ebrietas, & diuturnus abuſus ſpirituoſorum, motus nimius corporis totius, inprimis pulmonum.

10. Cura requirit V. S. ſed rarius factam, clysmata, remedia reſol-

ſolventia, leniter ſtimulantia, tum & veſicatoria, quibus reſpondeat diaeta tenuis ex jure carnium & potu reſolvente mellito.

CAPUT XLIV.

De Vomicâ pulmonis.

§. 1.

Vomica pulmonis vocatur collectio in illo viſcere materiae purulentae cuidam membranae incluſae.

2. Symptomata vomicae ſunt, tusſis plerumque ſicca; reſpiratio parva, frequens, anheloſa, ſtrepera; febris lenta continua cum rubore genarum & labiorum; decubitus difficilis maxime in latus ſanum; macies; pallor; pedum oedema; ſudores nocturni & matutini, viſcidi, oleoſi circa jugulum & frontem;

tem; urinae oleoſae, ſpumoſae; appetitus dejectus; ſitis; ſaepe diarrhoea.

3. Debetur vomica praegreſſae cuicunque obſtructioni, inprimis autem inflammationi non reſolutae, cujus in vomicam exitum praenuntiant 1. abſentia ſignorum, quae felicem reſolutionem denuntiant; 2. vagae horripilationes; 3. doloris remiſſio, ceterorumque peripneumoniae ſymptomatum ſuperſtitum ſigna.

4. Anceps maxime & diſcrimine plenum malum eſt; raro enim vomica exſiccatur; frequentius proſerpendo totum pulmonem occupat; vel disrumpitur, unde tunc pus ſtillat in cavum thoracis, vel in bronchia & veſiculas pulmonales, quod ſi non impetuoſe, ſed lente admodum fiat, aliquando homo ſervatur; ſputa tunc parca & blanda ſpem aliquam ſuppeditant.

5.

5. Cura duplex eſt, prout adhucdum formatur vomica, vel revera facta ſit; in priori caſu laxantibus, mucilaginoſis, bechicis, ſuppuratio promovenda eſt; formata vero vomica ſi parva ſit naturae committenda eſt, ſanguinem ſolummodo muniendo contra puris acrimoniam, & expectorationem juvando; majoris disruptio acceleranda, uſu laxantium, humectantium; tum animam retinendo, dein clauſo ore & naribus fortiter quaſi exſpirando; motu totius corporis & pulmonis; vomitorio; quae tamen omnia ancipitis eventus ſunt.

CAPUT XLV.

De Haemoptöe.

§. 1.

Haemoptöe eſt excretio ſanguinis,

nis, qui per aſperam arteriam in os derivatur.

2. Symptomata antecedentia ſunt pruritus, gravitas, calor in pectore; dyſpnoea; dolor; tuſſicula; rubor faciëi & genarum; ſapor in ore ſalſus; ſputa ſanguine leviter tincta; dein tuſſiendo plerumqve ſanguis excernitur, ſpumoſus, coccineus, purus ſaepe, ſaepe pituitoſae vel purulentae materiae commixtus; majori plerumque copiâ ex pulmonum, quam ex aſperae arteriae vaſis.

3. Cauſſae proëgumenae vel in ſanguine, copiâ, motu, acrimoniâ peccante; vel in vaſis debilioribus quaerendae; procatarcticae vero ſunt aër calidus; alimenta dura, acria, potus ſpirituoſus, medicamenta ſimilia; validius corporis totius vel pulmonum exercitium; gravis ira; ſanguineae excretiones ſuppreſſae;

ve-

veneris uſus; ictus, lapſus, contuſiones, vnlnera.

4. Quae quidem omnes cauſſae vel ἀναστομώσιν, vel διαπήδησιν, vel ῥῆξιν, aut διαβρῶσιν in vaſis excitant, idque, venoſis vel arterioſis, pulmonalibus aeque ac bronchialibus.

5. Omnis haemoptöe periculoſa eſt; peſſima, in quâ magna ſanguinis floridi admodum copia, a cauſſâ internâ, cum animi deliquio & frigido ſudore ejicitur.

6. In paroxysmo ſanguis cohiberi debet V. S., niſi magna admodum copia ejecta jam ſit; per extremitatum ligaturas, & medicamenta interna & externa involventia, refrigerantia, temperantia, deinde adſtringentia: cohibito ſanguinis fluxu, extravaſatus ſolvi debet attenuantibus remediis; cauſſae pro variâ indole tollendae & pulmo robo-

borandus balſamicis, moderato motu, corticis peruviani, & mineralium aquarum uſu; diaeta interim ſtricta & facilis digeſtionis, frequenter etiam V. S. optimum eſt hujus morbi prophylacticum.

CAPUT XLVI.

De Phthiſi pulmonali.

§. 1.

Phthiſis pulmonalis eſt conſumtio corporis, quae vi ulceris in pulmone haerentis contingit.

2. Symptomata ſunt, febricula lenta; tuſſicula inprimis poſt paſtum & motum; ſputa in initio nulla, dein glutinoſa, provectiori morbo purulenta, ſaepe ſtriis ſanguineis diſtincta, pinguia, dulcia, ſalſa, foetida; reſpiratio ſaepe parva, difficilis;

lis; appetitus frequenter vegetus; ſudores viſcidi oleoſi; pedum oedema; pruritus; puſtulae; bubones; diarrhoea; aphthae; vox rauca; capillorum defluvium; unguium curvaturae; ſputorum ſuppreſſio; anxietas; facies Hippocratica.

3. Conditio morboſa in hac phthiſi eſt ulcus pulmonale.

4. Cauſſae procatarcticae ſunt, quaecunque pulmoni vulnerando, rodendo, vel aliâ ratione vim inferunt, ita ut continuum ſolvatur; huc refer haemoptyſin; peripneumoniam; humores quosvis in cavo pectoris collectos; catarrhos; aſthmata; materiem quamcumque acrem morboſam in pulmonem delatam; quaevis notabiliora rerum non naturalium vitia; contagium: proëgumenae ſunt labes haereditaria; aetas; plethora; cacochymia; debilitas pulmonum; thoracis mala con-

conformatio ; collum longum gracile.

5. Phthiſis ſanari neſcit, niſi forte ulcus parvum recensque ſit, a cauſſâ productum externâ; pus blandum promens; nec aeger multum ad hunc morbum diſpoſitus; capillorum defluvium, ſputorum gravis foetor, eorum ſuppreſſio, ac diarrhoea male admodum ominantur.

6. Imminens phthiſis quantocius avertenda, tollendo cauſſas, quod pro earum diverſâ indole, nunc V. S.; alias ſudoriferis; aliquando diureticis, fonticulis, ſetaceis peragitur: praeſens vero malum requirit, ut 1. acrimoniam humorum temperemus; 2. ulcus pulmonale mundemus; 3. conſolidationem promoveamus; 4. pulmonem roboremus.

7. Prima indicatio impletur vel

diluentibus aperientibus; vel involventibus balſamicis; vel acidiuſculis: altera, puris exitum per diuretica aut expectorantia promovendo, melle & ſaccharo, vulnerariis, balſamicis, lacte aſinino; aliquando & prudenti vinoſorum uſu; neque externis hîc nullus locus eſt; quibus quidem omnibus, & quiete pulmonum, & ſubadſtringentibus tertiae indicationi ſatis fit: pulmonem autem roboramus, prorſus ut poſt haemoptoën fieri vidimus.

8. Diaeta ſtricta ſit, ex alimentis blandis, euchymis, eupeptis & aceſcentibus, quae ſimul pulcre nutriant, caveatque ſibi aeger a vento & ſole: quod ſi haec omnia conamina, ut ſolent tantum non ſemper, fruſtranea ſint, id habent tamen, ut ſymptomata compeſcant, in quorum mitigatione provectiori phthiſico unicum ſolamen eſt.

CAPUT XLVIII.

De Diaphragmatis inflammatione.

§. 1.

Diaphragmatis inflammationem cognoſcimus ex febre continuâ acutâ, doloris loco circa praecordia, latera, dorſum, aucti non in reſpiratione ſolum ceteriſque pulmonum motibus, ſed & in ventriculi repletione, ſingultu, conatibus ad vomendum, exoneratione alvi & veſicae: frequenter adeſt delirium, hypochondriorum ſurſum diſtractio, convulſiones, inprimis riſus ſardonius.

2. Seminia morbi ſunt adſiduus ſepti motus, cita per illud circulatio, ejusque communicatio cum bene multis viſceribus; inter potentias vero nocentes eminent cum aë-

re cibi potusque acres, calidi & frigidi.

3. Morbus hic acutiſſimus eſt, qui terminatur in reſolutionem, ſuppurationem, gangraenam & indurationem: reſolutionem promittit ſudor calidus, aequabilis; ſanguinis fluxus; alvi & urinae ejectio.

4. Si nihil critici natura molitur V. S. repetitae; cucurbitae in dorſo; enemata diluentia; laxantia; ore ſumta diluentia, antiphlogiſtica, nitroſa ſimilisque diaeta; externe admota mollia unguenta, fomenta, cataplasmata reſolutionem promovent.

5. Quod ſi non obſtante hac medicinâ ſymptomata non cedant, ſed vix remittant, accedatque rigor & horripilatio, ac dolor ex lancinante fiat pulſatorius, inſtat ſuppuratio, quam disrupto abſceſſu ſequetur vel empyema

pyema, vel aſcites purulentus, vel utrumque malum, aegro, niſi forte praemiſſâ paracenteſi natura rariori in caſu ulcus ipſa conſolidet, tantum non certo lethale.

CAPUT XLVIII.

De Empyemate.

§. 1.

Empyema hodie vocatur, collectio puris in ipſâ thoracis cavitate congeſti.

2. Symptomata ſunt frequens tusſis; dolor in latere adfecto; dyſpnoea; decubitus in latus ſanum impoſſibilis; ſenſus ponderis ad diaphragma; ſonitus fluctuantis puris; levior thoracis in latere adfecto protuberantia; febricula hectica; brachii tumor varius; & bene multa

confirmatae phthiſeos indicia; haec omnia vero puri non aquae deberi, ex cauſſis colligimus praegreſſis.

3. Omnes nempe inflammationes partium in thorace contentarum, omnia illa, quae partes illas erodere valent, ut aquae collectio; pituita; ſanguis extravaſatus; aſthma humorale, vulnera, contuſiones, pro cauſſis remotis empyematis haberi debent; licet tamen absque hiſce malis aliunde pus in hoc cavum per μεταστασιν derivari poſſit.

4. Malum hoc, periculoſiſſimum ſane, aliquando ſponte ſolvitur per expectorationem, diureſin, rarius per alvum; in tali caſu ex puris indole & ſymptomatum levamine formamus prognoſin, ſaepe minus fortunatam.

5. Ante omnia neceſſe eſt pus educere, vel per vias illas, quas

natura praemonſtrat, vel per arte factas; expectoratio ergo promovenda, vel dulcibus ſaponaceis, vel balſamicis, vinoſis, pro ratione ſymptomatum; urinae, ſi pus ferant, diureticis lenioribus promovendae, & clysmatis laxantibus omne obſtaculum tollendum, quae enemata etiam in diarrhoeâ criticâ poſſunt in uſum vocari, niſi natura ſibi ſufficiat.

6. Naturâ nullum puri exitum conciliante, perforari morbo nondum provecto debet, vel tumor forte ab ipſâ materiâ excitatus; vel locus in ſiniſtro latere inter ſecundam & tertiam coſtam ſpuriam, in dextro inter tertiam & quartam, ab inferioribus numerando, ad diſtantiam quatuor digitorum a ſpinâ dorſi, atque ita aptâ paracenteſi, pus educi, quod ſi ſub ſterno lateat, hujus terebratione evocetur; operationis modum & cautelas Chirurgi docent; majorem minoremve ſuc-

 ces-

ceſſus ſpem eductae materiae offert qualitas.

7. Interea fomes mali tolli & mitigari ſymptomata debent, quâ de re abunde egimus, cum de phthiſi dicebamus.

CAPUT XLIX.

De Syncope.

§. 1.

Syncope vocatur ſubitus omnium virium prolapſus, cum torpore & paralyticâ muſculorum omnium flacciditate, cujus leviores ſpecies ſunt ἐκλείψις, λειποθύμια, λειποψύχια; tam gravis vero ſyncope, ut etiam dubites, an vivat homo, ἀσφύξια dici conſuevit.

2. Pallet in hoc morbo, aliquan-

do livet facies; calor corporis imminuitur; ſudor frigidus artus ſaepe occupat; lacrymae, ſaliva, urinae, foeces effluunt; adeſt anxietas; reſpiratio anheloſa, ſaepe nulla; ſenſuum decrementum, abolitio; pulſus debiliſſimus, rarus aliquando, aliquando celer, ſaepe nullus.

3. Omnia haec debentur cordis deliquio nato ex enervatâ ipſius virtute muſculari, vel interrupto influxu ſanguis venoſi in ipſius cava.

4. Aëris vitia varia, odores infeſti, alimenta pravi ſucci, venena, motus laborioſus vires excedens, pervigilium, vehementes animi adfectus, ideae horridae, evacuationes quaevis magnae ſubitae, vermes, varia cerebri, cordis, pulmonum vitia ſyncopen, praecipue in hyſtericis, hypochondriacis, gravidis, puerperis aliisque, quibus quâvis demum de cauſſâ vires de-

di-

biles & nervi ſenſiliores ſunt, provocant.

5. Omnis ſyncope periculoſa, inprimis, quae ex cauſſâ minus manifeſtâ oritur, & frequenter recurrit; tum quae immenſam liquoris vitalis evacuationem ſequitur.

6. In paroxyſmo ea conducunt, quae nervoſum genus irritant, extus admota, vel in leviori caſu etiam intus hauſta; quod ſi malum ab inanitione ſubitâ ſanguinis, frigida externe & interne adhibe: evacuantibus raro locus, niſi aliquando emetico: extra paroxyſmum cauſſae proëgumenae ac procatarcticae indagandae ſollicite, & pro variâ indole vario modo debellandae ſunt.

CAPUT L.

De Palpitatione cordis.

§. 1.

Palpitatio cordis vocatur vehementior ejus contractio, cum illiſu ad partes vicinas naturali longe majore.

2. Junguntur huic malo plerumque pulſus inaequalis intermittens, anxietas, membrorum tremor, vertigo, tuſſicula, interdum leipothymia, paſſiones hyſtericae & hypochondriacae.

3. Eſt ſpasmodicum cordis vitium.

4. Cauſſae remotae referri poſſunt vel ad turbas ſyſtematis nervoſi; vel ad tumultus motus circulatorii; vel ad topica cordis vitia; om-

omnes id habent, ut altera ſaepe ab alterâ producatur, tumque prioris efficaciam inſignem in modum augeat; huc itaque pertinent animi pathemata; veneris nimium exercitium; mala quaevis ſpasmodica; acrimoniae morboſae; porro vitia reſpirationis; viſcerum abdominalium morbi; tandem cordis partiumque proxime adjacentium inflammatio, ulcus, aneurysma, polypus, calculus, hydrops, anguſtatio, degeneratio ſimiliaque alia.

5. Prognoſis diverſa admodum, & ex cauſſarum indole determinanda: malum eſt plerumque chronicum, ſaepe periculoſum, aliquando ſanabile, imo fit ut bene ominetur.

6. Cura cuivis cauſſarum accommodanda eſt, unde fit, ut V. S. nunc proſit, nunc vero noceat, quod idem verum eſt, de carminanti-

tibus, antihyſtericis, opiatis, emeticis, purgantibus, diureticis, veſicantibus, mercurialibus, cardiacis, nutrientibus.

CAPUT LI.

De Aneurysmate cordis & vaſorum majorum.

§. 1.

Cavitatum in corde & majoribus vaſis morboſa amplitudo aneurysma dicitur.

2. Diagnoſis difficilis ob ſymptomatum ſimilitudinem, cum illis congenerum morborum; frequenter adeſt dolor in pectore gravativus, anxietas, cordis palpitatio, pulſus parvus debilis, abdominis tenſio; corpore in anteriora flexo, ſymptomata aliquando levantur: comitantur au-

autem hoc malum & ſaepe ſuccedunt, vertigo, cephalalgia; aſthma, haemoptöe, ſyncope, phthiſis, hydrops thoracis, coſtarum caries; quam tragoediam ſaepe ſubitaneâ morte claudi obſervamus.

3. Hanc parietum expanſionem, producent omnia illa, quae vel liquidi contenti preſſionem in illos augent; vel illorum reſiſtentiam imminuunt; unde huc pertinent plethora; febres; cordis polypus; nimia in vaſis arterioſis reſiſtentia; fibrarum imbecillitas, laeſio: diſponuntur autem adhunc morbum helluones; hyſtericae; hypochondriaci; venerei; tum quibus male conformatus thorax geritur.

4. Malum hoc diſcrimine plenum, ſubitaneam mortem minitatur, ſed & lentâ ſaepe terminatur; prudenti regimine protrahi diu aegri vita poterit.

5.

5. Tantum non incurabile hoc aneurysma eſt; tempeſtiva V. S. in initio morbi, ſtrictiſſima diaeta, leniſſime ſolventia ad praecavendam concretionem polypoſam, forte, ſi diagnoſis morbi facilior foret, valerent aliquid, nunc, cum extremitatum ſuperiorum in aquam calentem immerſione & frictione mitigant morbum.

CAPUT LII.

De Polypo cordis & majorum vaſorum.

§. 1.

Maſſa durior membranoſa, irregularis figurae, in corde vel vaſis majoribus haerens eorumque parieti interno radicibus diverſis ſaepe adfixa, cordis vel vaſorum majorum Polypus ſolet vocari.

2. Symptomata, ſi tenſionem illam abdominis, & ſequelae, ſi coſtarum cariem excipiamus, ſimillimae ſunt illis, quas in aneurysmate cordis obſervamus, hinc diagnoſis aeque difficilis foret, niſi cauſſae praegreſſae hîc aliquam lucem ſpargerent.

3. Polypus non eſt niſi pars fibroſa, in ſanguine a ceteris ſejuncta.

4. Cauſſae ſunt omnes illae, quae ſanguinis motum ſiſtere, eumve condenſare valent; diſpoſita itaque ad polypum inprimis ſunt corpora laxa, quieſcentia, plethorica, hypochondriaca, cachectica; nocent his animi pathemata, inprimis frigida, ſyncope, evacuationum ſanguinearum ſuppreſſio, apoplexia; tum etiam praegreſſi morbi inflammatorii, peſtis, diabetes, ſpirituoſorum abuſus, corticis peruviani uſus incongruus, aqua frigida aeſtuante cor-

po-

pore epota; quibus omnibus topica cordis mala accenſeri debent.

5. Morbus hic periculoſiſſimus ſaepe ſubito necat, quod tamen a recentiori polypo magis quam ab inveterato metuendum eſt.

6. Morbum, quem imminere ex praegreſſis cauſſis ſuſpicamur, pro illarum diverſâ indole nunc V. S. nunc leniter ſtimulantibus; frequenter reſolventibus, ſaponaceis avertimus: praeſens vix ſanari poſſe videtur, explorandum tamen in malo adeo gravi, quid ad ſolutionem valeat aqua tepida, ſubalcalina, quid ſucci ſaponacei, aquae minerales, mercurialia, antimoniata, & camphora; interim iisdem hiſce & frequenter repetitâ parvâ V. S. polypi incrementum impediendum eſt, & ſymptomati cuivis pro diverſâ indole occurrendum.

CAPUT LIII.

De Hydrope pectoris.

§. 1.

Materiae aquoſae vel ſeroſae collectio in cavitatibus thoracis hydrops pectoris dici conſuevit.

2. Si quis alius hic morbus difficillime dignoſcitur; ejus autem ſuſpicionem faciunt nulla inflammatio praegreſſa, erecta & difficilis reſpiratio, ſenſus ponderis ad diaphragma, tuſſicula, pedum manuumque oedema, tumor ſcroti cum levatione ſymptomatum, decubitus in latus ſanum impoſſibilis, ſubita dormientis expergefactio, cum ſuffocationis periculo, fluctuantis aquae ſenſatio, urina prius alba, copioſa, dein parcior, & magis ſaturata, pulſus valde inaequalis.

3. Cauſſae hujus mali plerumque alii morbi ſunt; ut tuſſis inveterata, aſthma, cordis & majorum vaſorum morbi, hydrops aſcites, ruptae hydatides, & hydrocele diſcuſſa.

4. Hydrops thoracis morbus eſt periculoſus, chronicus, & qui ſanari vix poteſt.

5. In diureticis, ſetaceis per ſcrotum transmiſſis crurumque fonticulis, hiſce autem irritis in paracenteſi levis quaedam nec indubia ſpes eſt; habitâ ſemper ratione illius morbi, cujus triſte ſymptoma eſt.

CAPUT LIV.

De Hepatitide.

§. 1.

Hepatitis eſt inflammatio hepatis, quae

quae vel venoſa eſt vel arterioſa, externaque vel interna.

2. Dignoſcitur ex dolore in regione hepatis punctorio, cum febre continuâ; dolorisque augmento per omnem hepatis compreſſionem, naturalem etiam; dolorifico ſingultu; ſiti; urinâ rubrâ, parcâ; tumor aliquando adeſt in loco dolente, aliquando icteri obſervantur ſymptomata.

3. Cauſſae huic inflammationi propriae ſunt; alimenta acria vel & viſcoſa; vomitus validus repetitus; animi pathemata; olei inſignis in omento copia; metaſtaſis materiae morbificae ad hepar, morbi quicunque hujus viſceris, & externorum remediorum adverſus illos calidorum, frigidorum, & attrahentium, intempeſtivus uſus; bilis utriusque vitia; injuriae quaevis hepati illatae; febris ardens.

4.

4. Malum hoc periculoſum eſt; quod ſi in gangraenam abit, certo necat; ſi in ſcirrhum, curari nequit, & metum cancri incutit; ſi abſceſſum format lentâ tabe conſumit; ſola reſolutio tuto ſanat, quam promovere quovis molimine medicus debet.

5. Niſi ſimplex reſolutio ſit, morbum ſanare vel haemorrhagia copioſa ex dextro narium cavo, vel alvi fluxus bilioſus, vel haemorrhoïdes, urina copioſa, critica, ſimilisve ſudor, vel vomitus obſervatur.

6. Hiſce naturae conatibus obtemperandum eſt; ſi vero abſint, curae negotium eſt, in debitâ V. S. in brachio, eccoproticorum, cholagogorum, clyſmatum, nitroſorum, ſaponaceorum, quae adverſus inflammationem valent, ac reſolventium fomentorum adminiſtratione.

7. Nullis indiciis reſolutionis com parentibus; ſi vagae horripilationes; ſi ſola remiſſio ſymptomatum; ſi gravativus & pulſans dolor; ſi tumor in regione viſceris affecti, & ſimul febricula hectica naſcantur, de ſuppuratione vix dubitare licet, quae, niſi forte abſceſſus extrorſum patens aperiri tuto queat, aegrum de medio tollit, vel conſumendo integrum hepar; vel pus in cavum abdominis effundendo; vel cum ſanguine purulentam cacochymiam communicando.

8. Purulenta ſanguinis cacochymia aceſcentibus, ſaponaceis, lacticiniis, ſeroſis praecaveri debet; ulcusque mundari vulnerariis, balſamicis, aquis mineralibus: quod ſi tumorem extus conſpicuum & in ipſis integumentis palpabilem formet abſceſſus, ſectione puri exitus conciliari & ulcus externis detergi ſanarique, ſimul cum uſu internorum debet.

9. Scirrhus hepatis, qui, ut inflammationem, ita & obſtructionem aliam, contuſionem, & calefacientium quorumvis uſum ſequitur, dignoſcitur potiſſimum, ex praegreſſis, atque dolore gravativo; curari hactenus non poteſt; averti autem quovis molimine debet, reſerando obſtructum viſcus, per attenuantia, ſaponacea, amaricantia, chalybeata, purgantibus interpoſitis, & aquas minerales; ſimilemque prophylaxin externam.

CAPUT LV.

De Ictero.

§. 1.

Icterus vocatur naturalis coloris degeneratio in flavum, bilis colori ſimillimum, viridem ſubinde, aliquando & ſubnigrum.

2. Dignoſcitur ex cutis flavedine; urinâ rubrâ, quae ſi conquasſetur ſpumam flavam contrahit, & immiſſa corpora alba colore flavo tingit; alvi foecibus albis, griſeis; corporis pruritu; puſtulis; veſiculis; accedente aliquando febre; cachexiâ; hydrope.

3. Futurum icterum praeſagiunt anxietas ad praecordia, cardialgia; tumor & dolor hypochondriorum, in primis dextri; horripilationes; appetitus proſtratus; nauſea; vomitus bilioſi; ſitis; ructus; flatus, borborygmi; doloresque colici.

4. Icterus igitur conſiſtit in errore reſorbtae bilis intra maſſam ſanguineam, quâ cum ad omnes defertur partes.

5. Ad cauſſas errorem bilis fluentis provocantes in primis pertinent omnes illae, quae bilis in inteſtina excre-

tio-

tionem prohibent, tantum non omnia hepatis mala; veſiculae felleae morbi; ſive ſubſtantiam premant, ſive in cavo haereant; ductus hepatici, cyſtici & choledochi hujusque oſculi compreſſio, obturatio, conſtrictio; venena; febris; graviditas: nec negligendae tamen, quae ſecretionem vitiant; vel inſignem in modum augent; vel liberum per inteſtina tranſitum prohibent.

6. Prognoſis, pro diverſitate cauſſae, diverſiſſima eſt; peſſimus eſt, cui haemorrhagia ſupervenit; tum & ſymptomaticus, in febribus, accedente ſingultu.

7. Eadem differentia cauſſarum facit, ut icterus non ſemper eâdem ratione queat curari; frequentiſſime quidem per incidentia, ſaponacea, plus minusve ſtimulantia, tum interna tum externa, intermixtis catharticis; diſparentibus autem ſympto-

ptomatibus deobſtruentia dentur, quae ſimul corroborant; quandoquidem frequentiſſime tenax materia liberum bili exitum negare ſolet; quae ſi vel calculoſa ſit, non aliam admittit curam; niſi, ubi in cavo veſiculae moretur, eaque ſimul cum peritonaeo concreverit, ita namque ſectione educi poſſe conſtat.

8. Sin vero ab hepatitide natus ſit icterus, per curam antiphlogiſticam; ſi a conſtrictione ſpasmodicâ, per antihyſterica & opiata fugatur; adeo ut ſpecifica non dentur; ut neque talia, quae flavum cutis colorem emendare valent.

CAPUT LVI.

De Hydrope.

§. 1.

Hydrops vocatur collectio materiae aquoſae, in quodam corporis loco; pro cujus diverſitate diverſae oriuntur ſpecies; hydrops ἀνὰ σάρκα & aſcites hîc pertractantur; quibus malis ſubjungetur tympanites; dum de thoracis & capitis hydrope alibi agitur.

2. Ἀνὰ σάρκα dicitur illa hydropis ſpecies, quae ſedem ſuam habet in tunicâ celluloſâ; eſt univerſalis vel particularis; externa vel interna.

3. Tumores laxi albi frigidi impreſſionem digitorum retinentes, indolentes, frequentiſſima ſunt hujus

jus hydropis ſymptomata, niſi ſummum gradum obtineat.

4. Cauſſae ſunt, quae aquae nimium in cellulas ducunt; vel reſorbtum ex illis impediunt; proëgumenae quidem, temperamentum phlegmaticum; viſcerum obſtructiones; morbi quilibet acuti chronici; procatarcticae vero, aër humidus & frigidus; alimenta dyſpepta; abuſus aquoſorum & ſpirituoſorum; evacuationes nimiae vel ſuppreſſae.

5. Morbus eſt chronicus, curatu difficillimus; univerſalis peſſimus; urinae profuſae aliquando morbum ſolvunt; ſudores rarius.

6. Ad curam requiritur, ut aquae ex celluloſâ evacuentur, dein, ut cauſſae eas cumulanti medeamur; diuretica interne exhibita, diſcutientia extus admota, primae indicationi, roborantia ſecundae, in re-

recente morbo, non autem ſine ſtricto aegri regimine, cauſſae morbi oppoſito, ſatisfaciunt ſubinde; ſanato autem ante omnia illo, cui ortum debet hydrops.

7. Aſcites eſt collectio materiae aquoſae in cavo abdominis; qui quidem diſtinguitur tum a cavitate, in quâ colligitur; tum a diverſitate materiae collectae.

8. Aſcites in initio difficulter dignoſcitur; incipit cum torpore; dyspnoeâ; pedum oedemate; levi abdominis tumore, qui ſenſim increſcit, accedente aliquando materiae fluctuatione; partes ſuperiores emaciantur; alvus conſtipata eſt; urina parca, rubra; febricula, ſitis, appetitus dejectus; tuſſis; haemorrhagia narium; ulcera, viſcerumque ſequitur deſtructio.

9. Cauſſas easdem agnoſcit aſcites

tes quas hydrops ἀνὰ σάρκα, qui ipſe inter eas pertinet: curatur difficulter; ſitis; tuſſis; narium haemorrhagiae; diarrhoea; haemoptyſis; convulſiones; tenesmus; male ominantur; melius urinarum liberale profluvium.

10. Aquae collectae expelli primo debent; ſimulque cauſſae tollendae ſunt; tandem viſcerum vaſorumque amiſſum tonum reſtaurare oportet; ad priorem indicationem commendamus prudentem diureticorum, purgantium, ac paracenteſeos, ancipitis tamen remedii, uſum: alteri ſaepe ſatisfit, per corroborantia; ſaepe per deobſtruentia; aliquando per acre quoddam corrigentia; nec enim hìc eadem methodus ſemper valet: tertiae autem, per aromatica; ſubadſtringentia; imprimis per juſtum vitae regimen.

11.

11. Tympanites vocatur abdominis diſtenſio, orta a materie elaſticâ, cujus ſedes, vel in ipſo abdominis, vel in inteſtinorum cavo eſt.

12. Sonitus percuſſi ventris; nullum fluctuantis liquidi indicium; ponderis corporis, volumine increſcentis vix ullum augmentum, mali diagnoſin exhibent; quod excitari poteſt, per impeditum roris abſorptum; materiam corruptam; viſcerum varia vitia; vulnera inteſtinorum, eorumque paralyticam laxitatem.

13. Malum taedio plenum, ſaepe lentâ morte terminatur; in expellendâ materiâ corruptâ & roborandis fibris laxis unicum ſolatium, ſaepe incertum admodum, eſt.

CAPUT LVII.

De ventriculi Inflammatione.

§. 1.

Ventriculi inflammationem detegunt febris continua acuta, cum dolore punctorio inprimis in epigaſtrio, aucto ab inſpiratione, tuſſi & alvi exoneratione; ſed etiam ab ingeſtis alimentis ac potulentis; vomitus; ſitis & ardor, aliquando & ſyncope adſunt, aliquando convulſiones.

2. Cauſſarum frequentiſſimae ſunt, ingeſta actu vel potentiâ calida, frigida; acria quaevis; ſed & vitia viſcerum vicinorum mole prementium, vel per conſenſum nervos irritantium.

3. Malum hoc ſaepe peracutum eſt;

eſt; ſaepe in abſceſſum abit; nec minus frequenter in gangraenam; aliquando ſcirrhoſam duritiem induit ventriculus.

4. Reſolutionem moliri curâ antiphlogiſticâ citiſſime medicus debet; ex reſolventibus tamen intus exhibendis omne ſalinum, etiam nitroſum, omne camphoratum, omnia purgantia exſulare debent; interim alvum emollire frequenti clysmate oportet.

5. Ulcus ab abſceſſu naſcens forte compeſcendo vomitum per opiata blanda; & ſtrictâ diaetâ; leniorum detergentium uſu; lacticiniis & aquis mineralibus, poterit curari; nullâ autem medicinâ, nec ſcirrhus ſanari novit, neque gangraena.

CAPUT LVIII.

De Nauſeâ & Vomitu.

§. 1.

Vomitum vocamus invitam, violentam & faſtidioſam eorum quae ventriculo continentur, vel ex vicinis viſceribus illuc advehuntur, ex ore expulſionem; faſtidioſus vero ad illum vomitum conatus nauſea eſt.

2. Conſiſtunt haec mala in diverſo gradu motus ſpasmodici faucium, oeſophagi, ventriculi, inteſtinorum, diaphragmatis, & muſculorum abdominalium ad ejectionem irritamenti conſpirantium, eo fortius magisque unitâ vi, quo intenſius malum.

3. Cauſſarum duplex oritur clasſis, pro ratione loci in quo morantur;

tur; ſi enim in ipſo haerent ventriculo, idopathicum vomitum producunt; ſi extra illud receptaculum, erit vomitus ſympathicus.

4. In idiopathico cauſſae ſunt, vel in ſubſtantiâ ventriculi, vel in ejus cavo; pertinent ad priores, inflammatio; ſuppuratio; ulcus; ſcirrhus; cancer, & irrritabilitas; ad poſteriores referantur inprimis nimia ingeſtorum copia; bilis aliave materia depravata; pituita; ſanguis; vermes; venena.

5. Sympathicum generant affectiones partium, quovis modo cum ventriculo conſentientium, vicinarum aeque ac remotiorum.

6. Vomitus ſaepe ſui ipſius remedium eſt; contra ſaepe gravia mala excitat, quae vel vehementiae motus convulſivi; vel defectui nutrimenti; vel copioſae debetur evacuationi.

 7.

7. Vomitum ex irritabilitate naſci novimus, ex praegreſſis; ex corporis conſtitutione; ex aliis motibus ſpasmodicis; ex materiae naturalis ſanae excretione: curamus antiſpasmodicis, tonicis.

8. Nimiam ingeſtorum copiam, ipſe vomitus, abſtinentia, aqua tepida, leve vomitorium curat.

9. Putridam materiem in cauſſâ mali eſſe colligimus ex ructibus flatibusque; ex materiae excretae inſpectione; ex ſapore ingrato; ex animae foetore; linguae flavedine & ſiccitate; aliquando & alvi profluvio; debetur illa alimentis male digeſtis; vel inediae; vel bilis depravationi.

10. Expellenda prius materia eſt; emeticis; catharticis; ſaepe junctis utriſque: tum reliquiae corrigendae diluentibus; ſaponaceis, acidis;

caus-

cauſſae ſollicite conquirendae & tollendae; ac denique tonus ventriculi reſtaurandus.

11. Pituita, quam peccare novimus, ex diaetâ praegreſſâ; ex ſignis laxitatis; ex materiâ tenaci, albâ, fauces obſidente; materie excretâ, alvo tardâ, & appetitu dejecto, mobilis reddi, dein expelli debet; tum reliquiae attenuandae, & ventriculus roborandus.

12. Cruenti vomitus, periculoſi morbi, non una cauſſa eſt; vel enim a vaſis ventriculi ruptis; vel a dilatatis lienis & ventriculi vaſis oritur; vel a ſanguine per os & fauces deglutito; vel ſurſum deorſumque pulſo ex haemorrhagiâ hepatis per choledochum; in priori caſu traumaticis locus eſt: in altero V. S., frigida, & ſubadſtringentia; in tertio vero lenia emetica proſunt; dum in quarto tempeſtiva V. S. optimum

aliquando remedium, potiſſimum prophylacticum: ſemper autem notandum, diluentibus, blande ſaponaceis, antiſepticis, & eccoproticis, coagulatum cruorem ſolvendum & deorſum determinandum eſſe; diſſoluto autem cruori ex putredine, antiſepticis unice occurrendum eſt.

13. Sympathicus vomitus ceſſat, ſublato viſceris, unde provenit, morbo; mitigatur ſaepe feliciter opiatis.

CAPUT LIX.

De Singultu.

§. 1.

Singultus eſt convulſiva concuſſio ſtomachi & diaphragmatis, cum glottidis conſtrictione juncta, unde ſubito inſpiratus aër ſonum edit.

2. Cauſſae eaedem, quae reliquorum ſpasmorum, multiplices admodum, quae quidem in oeſophago, ventriculo ipſo, aut diaphragmate haerent, unde ſingultus idiopathicus; vel alibi morantes illas partes per conſenſum irritant, unde ſympathicus.

3. Saepe nihil periculi, ſaepe multum habet; in acutis male ominatur.

4. Inſignis in curando diverſitas obtinet: ſaepe V. S. convenit, interdum plane non; idem de aliis evacuantibus, de antiſpasmodicis, de ſtimulantibus & corroborantibus, de laxantibus, de cucurbitis & veſicatoriis verum eſt.

CAPUT LX.

De Colicâ.

§. 1.

Colica hodie dicitur inteſtinorum tenuium aeque ac craſſorum dolor.

2. Cauſſae colicae diſtinguuntur a ſede, prout vel in cavo tubi inteſtinalis, vel in ſubſtantiâ haereant, vel externe illi applicentur: ad priorem claſſem pertinent flatus; ſtercus; bilis; pituita; acidum; vermes; venena; calculus; aliaque heterogenea: ad alteram inflammatio; ſuppuratio; ſcirrhus; cancer; quaevis materia morboſa per metaſtaſin eò delata; ſpasmus: ad tertiam denique referimus tympanitem; aſcitem; & intromiſſum per paracenteſin aërem; quae quidem omnium cauſſarum inſignis varietas di-

diſtinctiſſimas format colicae ſpecies.

3. Omnes colicae ancipitis eventus ſunt; nonnullae periculoſae valde; aliae certo lethales; & ſic quidem celerrime; aliae poſt acerbiſſimos dolores & convulſiones ſubinde artuum paralyſes relinquunt, quo nomine potiſſimum ſeſe diſtinguit Pictonum colica.

4. Colica flatulenta oritur frequenter ab ingeſtis flatulentis; fructibus horaeis; fermentantibus liquoribus; putrefactis; nec ulla colica eſt, cui ſeſe non jungit: hinc imprudenter laudantur carminantia; ſpirituoſa; quorum non niſi rariſſimus uſus eſt: ſaepius demulcentia ore & ano excepta, & blande evacuantia conducunt.

5. Colica ſtercorea, quae oritur a foecibus diu retentis induratis,

tis, fomenta, cataplaſmata, linimenta humectantia, emollientia calide admota, ſimilia enemata, ſed ſimul ſaponacea, dein ore hauſta diluentia, incidentia, & blande alvum provocantia ad ſui medelam poſtulat.

6. Bilioſa colica, quam ex temperie, ex aſſumtis, ex nauſeâ & vomitu bilioſo diſtinguimus, ſimilique diarrhoeâ, curatur emetico, catharticis cholagogis, admiſtis aliquando opiatis, fomentis, cataplasmatis, balneis; urgente dolore V. S. quoque adminiſtrari debet.

7. Pituitoſa, quam iterum ex temperie, ingeſtis, alvo tardâ cognoſcimus, enemata, & cathartica attenuantia, paulo fortiora requirit: eſt & in hac ſpecie emetico locus.

8. Spasmodica colica, ceterarum indivulſa comes, frequentiſſime etiam oritur a muco abraſo: ceterum & hy-

hyſtericis, hypochondriacisque frequens, quibus in anodyno optimum ſolamen eſt: mucum autem reſtituent mucilaginoſa; lacticinia; olea blanda, & ſubadſtringentia remedia.

9. Pictonum colica haec habet ſymptomata; dolor acerbus admodum eſt, primo quidem circa umbilicum, dein & in aliis abdominis locis; ſaepe accedit vomitus, ſubinde ſingultus aliquando & leipothymia; alvus plerumque adſtricta eſt; muſculi abdominales introrſum trahuntur; adeſt ſaepe dyſuria; ſequiturque delirium, convulſiones, tandemque extremitatum paralyſes; dolor remittens de novo ſaepe exacerbatur, & ſic aegrum aliquando per plures dies, imo & ſeptimanas vexat, unde inſignis pallor; macies; debilitas.

10. Cauſſae videntur omnino eaedem,

dem, quae aliarum colicarum, quarum, ſi intenſiſſimae illae ſint, vi, haec Pictonum naſcitur: non male igitur huc referentur acria quaevis; haemorrhoïdes; materia febrilis aut alia quaevis morboſa; venena quaelibet; inprimis ſaturnina; acida auſteraque vina; potus aquei tepidi, aëris viciſſitudines.

11. Colica haec lente necat; peſſima, quae a veneno oritur; quae convulſiones junctas habet; hydrops inſequens lethalis; alvi excretio ſpontanea, ſimilisque haemorrhoïdum & uteri evacuatio & ſudor aequabilis bene ominantur, ſi ſimul remittant ſymptomata.

12. In paroxyſmo blande evacuantia oleoſis & anodynis juncta ingerenda per os, & formâ clysmatis in anum immittenda, nec parcè, ſed largiſſimâ & repetitâ frequentiſſime doſi; fomenta, cataplasma-

ta ex herbis emollientibus, ſemicupia adhiberi debent, & hiſce irritis veſicatorium abdomini ſatis amplum admovendum; temperato dolore, cauſſae omni curâ conquirendae ſunt, & pro indole ſuâ debellandae.

CAPUT LXI.

De paſſione Iliacâ.

§. 1.

Iliaca paſſio eſt morbus, in quo, alvo pertinaciſſime clauſâ, ſummâ cum anxietate evomuntur, quaecunque tubo inteſtinali continentur, ipſa ſcybala, & in rectum immiſſa clysmata & ſuppoſitoria.

2. Eſt ergo motus convulſivus, inordinatus, inverſusque diaphragmatis, muſculorum abdominalium, ven-

ventriculi, & inteſtinorum, natus a plane obturato, vel multum imminuto cavo alimentaris tubi; nec obſtat excretio foecum, enematum, & inteſtinalium nodulorum.

3. Obſtaculum illud excitant inflammatio; abſceſſus; ulcus; ſcirrhus; cancer; calculus; foex dura; vermes; herniae; inteſtinorum contorſio, ſuſceptio, concretio, convulſio.

4. Morbus hic acutiſſimus eſt; ut plurimum lethalis; aliquando tamen ſanabilis.

5. Male agunt, qui in deglutitione globulorum aureorum aut argenti vivi aliisque remediis, ſemper ſaltem, ſolamen quaerunt; cura pro diverſitate cauſſarum diverſiſſima: interim ubique binae valent indicationes, quarum prima jubet vomitum ſiſtere, tollendo mali cauſſam vel emetico,

tico; vel opiato, vel epithemate nervino, vel medicamento *Riverii*, prout cauſſae indoles permittit; ſecunda, alvum reſerare, injectione clysmatum, pro mali naturâ plus minusve acrium: praemittenda autem, tantum non ſemper, prophylactica ſanguinis miſſio.

CAPUT LXII.

De Lienteriâ.

§. 1.

Lienteria cognoſcitur ex citâ alimentorum, ore adſumtorum, vix mutatorum, per anum excretione.

2. Eſt igitur ventriculi & inteſtinorum inertia ad coquendum, irritabilitati juncta, quam inducunt aër calidus humidus; abuſus aquoſorum, pinguium; aſcites; dyſenteria.

3. Lienteria plerumque lente necat, & in atrophiam, vel hydropem cum tabe abit.

4. Cura peragenda per roborantia; antiſpasmodica; adſtringentia tam interna, quam externa.

CAPUT LXIII.

De fluore Coeliaco.

§. 1.

Fluore coeliaco laborat, qui, cum foece, chylum ano expellit.

2. Cognoſcimus illum, ex ejectione materiae albicantis, griſeae; debilitate aegri ſenſim auctâ, in tabem, atrophiam & hydropem ſaepe & dyſenteriam abeunte; unde ſimul inſigne morbi periculum conficitur.

3.

3. Indoles ergo morboſa eſt impedimentum abſorbtus materiae chyloſae, ob labem vel ad oſcula vaſorum ſugentium vel altius haerentem, vel ob irritabilitatem inteſtinorum, chylum illum celerius juſto propellentem.

4. Sanatio obtinetur roborantibus, deobſtruentibus; frictionum inſignis uſus; aliquando & rhei levior doſis convenit.

CAPUT LXIV.

De Diarrhoeâ.

§. 1.

Frequens, copioſa, & liquida alvi dejectio dicitur diarrhoea.

2. In hoc morbo omne liquidum ad inteſtina determinatum non abſorbent vaſa.

3. Hanc autem conditionem provocant variae cauſſae: pertinent huc 1. omnes illae quae liquidum majori copiâ ad inteſtina deferunt; ut abuſus materiae potulentae, ſanguis diſſolutus, perſpiratio impedita; 2. quaecumque inteſtinis morboſam irritabilitatem creant; ut nervoſi generis quaecunque commotiones, morbi praegreſſi, mucum detergentia; 3. quae inteſtina ſtimulo majore vexant; ut cathartica, acria quaevis, venena, materia morbifica; 4. quae bibula vaſa, vel in exortu, vel in ulteriori decurſu, ſtringunt, obſtruunt, vel comprimunt; ut aphthae, variolae, ſordes, potus adſtringentes, varii generis tumores.

4. Diverſa admodum eſt prognoſis: eſt excretio ſaepe valde ſalutaris, quam continuo ſiſtere non licet, imo vero promovere oportet; inteterata difficulter ſanatur, &

& atrophiam, inteſtinorumque morbos creare poteſt; peſſima omnium eſt colliquativa.

5. In curâ diarrhoeae attendendum, quisnam inteſtini tractus potiſſimum adfectus ſit, ut determinemus, an ore aſſumenda, an per enema infundenda ſint remedia; tumque pro diverſitate cauſſae eligenda medela eſt; nec enim univerſale diarrhoeae remedium datur.

6. Diarrhoeam a liquido nimiâ copiâ ad inteſtina delato, curabimus; expulſionem promovendo per leve catharticum; tum influxum temperando, nunc roborantibus; ſanguinem compingentibus; alias copiam humorum minuentibus; vel aliorſum deferentibus; vel impeditam evacuationem reſtituentibus.

7. Eam, quae a morboſâ inteſtinorum irritabilitate oritur, optime

me ſanabimus; demulcendo nervos, eosque roborando, anodynis & antiſpasmodicis roborantibus junctis; frequenter mucilaginoſis, & ſubadſtringentibus.

8. Quae ab acri ſtimulo oritur, curari tuto nequit, niſi 1. acrem ſtimulum expellas, per emeticum vel catharticum; quod cum ſaepe facere non licet, hinc ſaepe etiam haec lethalis eſt; vel ſaltem 2. lenias, oleoſis aliisve involventibus vel antacidis aut antiſepticis; dein 3. ſenſilitatem inteſtini ſopias prudenti opii uſu.

9. Quartam cauſſarum claſſem tollunt remedia ſingularum indoli propria: rheum certe frequentiſſime uſui eſt.

C A-

CAPUT LXV.

De Cholerâ.

§. 1.

Cholera eſt ea affectio, quâ quidquid primae viae continent, ſurſum deorſumque violenter ejicitur.

2. Symptomata hujus morbi conſtituunt fluctuationis ſenſus circa umbilicum; conſtringens preſſio ad praecordia; nauſea; vomitus ſenſim increſcens; quo emittitur multum materiae tum elaſticae, tum humidae, bilioſae, pituitoſae, alimentoſae, integrae & corruptae; dolores colici; cardialgia; teneſmus; diarrhoea cum enormi anxietate, frigido ſudore, virium ſtupendâ proſtratione; quam etiam ipſa mors nonnunquam excipit.

3. Conditionem morboſam, quae ex vomitu & diarrhoeâ junctis componitur, variae excitant cauſſae; ut cacochymia quaevis; venena; abuſus fructuum horaeorum, & omnium, quae fermentationem concipere poſſunt; tum & potus in fermentatione ſuppreſſi; cibi dyſpepti vel plane heterocliti; evacuationes ſuppreſſae, inprimis ſudoris & perſpirationis inſenſibilis; turbae nervorum, ab animi adfectibus, aëris mutationibus, doloribus, & malo hyſterico natae.

4. Cholera periculoſum admodum, & ſaepe acutum morbum conſtituit, curatu difficilem, cum debitam materiae expulſionem virium ſaepe vetet debilitas.

5. Differat igitur pro virium integritate curae moderamen; ſi utcunque valeant, date catharticum non nimis validum & ſimul roborans, jun-

junĉto prudenter opio; ſin minus, temperantibus, roborantibus, opiatis, externis internisque ſedate tumultum; quo compoſito, rheo expellenda eſt materies.

CAPUT LXVI.

De Dyſenteriâ.

§. 1.

Dyſenteria hodie dicitur torminoſa, cruenta, ulceroſa alvi dejeĉtio: eſt illa vel ſymptomatica vel critica; epidemia vel ſporadica.

2. Excernuntur in dyſenteriâ ſemper cruenta, ichoroſa, purulenta; ſed vel ſola, vel intermixtis foecibus, bile flavâ, atrâ, viridi, pituitâ, carunculis, membranis, imo ipſius villoſae tunicae portionibus.

3. Conſiſtit morbus in inteſtinorum exulceratione: an vero ſola craſſa, an tenuia, an utraque hac labe vexentur, ex doloris loco; ex junctis ſymptomatibus; ex tempore, inter tormina & excretionem intermedio; ex naturâ denique excretae materiae colligimus.

4. Ad cauſſas pertinet inteſtinorum inflammatio cum ſequelis; quaevis cacochymia ſanguinis acrior; ſuccorum in viſceribus abdominalibus ſecretorum degeneratio; horumque viſcerum inſignior labes; vermes; calculus; pituita; nec non omnia acria quovis demum titulo ore hauſta; ipſumque contagium.

5. Nulla dyſenteria non periculoſa: peſſimae vero epidemicae; atrabilariae; cancroſae; a colliquato viſcere naſcentes; infantum, ſenumve; gravioribus ſymptomatibus ſtipatae: remedii vice rariſſime fungi videtur.

6.

6. In omni dyſenteriâ 1. acris materia expelli; 2. ejus reſiduum temperari; 3. vaſa aperta, & laeſa conſtringi, & conſolidari; & 4. ſymptomata mitigari debent: praemiſſâ, ſi per vires liceat, V. S., ad cathartica & emetica ex rheo & ipecacoannâ devenire oportet; niſi colliquatum viſcus aut aliud quid contra indicet; dein temperantibus pro vario acri variis materia corrigi & balſamicis mucilaginoſis involvi debet; quo facto, ad adſtringentia confugere licet, in quibus cortex ſimarubae merito ſuo commendatur, niſi potius eum antiſpasmodicâ virtute agere velis; ſymptomatibus a nimiâ ſenſilitate & irritabilitate partium oriundis prudens opiatorum, non tamen ante evacuationes debitas exhibendorum uſus occurrit: nulli interim remedio ſpecifici antidyſenterici nomen competit.

7. Optima prophylaxis quaerenda

da in repetito frequentius moderato rhei uſu; diaetâ facili aceſcente; ceterisque, quae in morbis contagioſis laudantur, praeſidiis; inſtante propius morbo ipecacoannâ utendum eſt.

CAPUT LXVII.

De Lumbricis.

§. 1.

Lumbricorum inteſtinalium tres potiſſimum dantur ſpecies; prima teretum, qui maximam cum terreſtibus habent convenientiam; altera aſcaridum, qui parvi, plani, albi vel lutei in ſolis craſſis morantur; tertia denique latorum, ex variis ſegmentis planis compoſitorum, incredibilem habentium longitudinem, quorum indoles obſcura maxime eſt.

2. Circa vermium horum in corpore originem nihil adfertur, quod non ſuis vexatur dubiis; vero autem ſimillimum eſt, eos a foris ad hominem deferri, ſeſeque intus more aliorum multiplicare animalium.

3. Cauſſae non ſatis cognitae; novimus animalem cibum, lactisque & caſei inprimis, mellis quoque & ſacchari abuſum lumbricis favere; eosque ad hunc morbum potiſſimum diſponi, qui laxa habent inteſtina, multumque in illis gerunt pituitae.

4. Diagnoſis incerta admodum, dum illa quae excitant ſymptomata bene multis aliis cauſſis tribui posſint; ſunt autem praecipua, venter tumidus; pupilla dilatata; viſus fixus; macies; laxus corporis tumor; livor ſub oculis & ad labia; ulcera cutis; foetidus oris halitus; foex alvina foetida, ex egeſtis ovulis, recrementis, cadaveribus vermium &

& ſuccis corporis naturalibus putrefactis; dolor adeſt abdominis vagus vel fixus ſaepe intermittens; pruritus narium; ſingultus; tuſſis ſicca; convulſiones epilepticae; catalepſis; aphonia; pavores in ſomno; ſomnolentia; pulſus exilis, inaequalis; ſaepe febrilis; appetitus vel proſtratus vel ſaepe caninus; alvus ſubinde dura, aliquando ſolutiſſima: aſcaridum ſuſpicionem injicit ani pruritus: lumbricus latus diſtingui certo nequit.

5. Lumbrici ſaepe ſatis innocue feruntur; frequentius moleſtum malum, aliquando diſcrimine plenum, imo interdum lethale conſtituunt; non intereſt, an ore expellantur an alvo: in acutis autem non optimum ſymptoma eorum excretio conſtituit.

6. Cura obtinetur vermes enecando, eosque vel vivos vel mortuos

tuos expellendo: enecantur 1. deſtruendo eorum nidum pituitoſum, per incidentes ſapones; ſalia; gummata; per remedia cathartica, antimoniata; mercurialia; omnia quidem tum intus exhibita, tum externe admota; 2. exhibendo antihelmintica, amaricantia nempe, oleoſa, dulcia, mercurialia, ſalia quaevis, martialia, antimoniata, terrea; tum & uſu comprobata quaedam ſpecifica: expelluntur autem per purgantia paulo validiora.

7. Aſcarides potiſſimum enecantur, & fugantur clysmatibus; ſic & lumbricus latus, ſed difficulter; adverſus quem etiam ſtannum, radix filicis maris, & purgantia, hisque operantibus ſuperepota frigida aqua laudantur: arcana autem commendare cordato Medico relligio eſt.

CAPUT LXVIII.

De Haemorrhoïdibus.

§. 1.

Varices venarum, quae per inteſtinum rectum decurrunt, haemorrhoïdes vocantur; quae, ut aliquando ſanitati egregie proſpiciunt, ita ſaepe eam laedunt, vel nimio fluore; vel eo plane ſuppreſſo; vel graviori, quem excitant dolore.

2. Nimii fluoris ut eadem ſunt ſymptomata, eaedemque cauſſae, quae ceterarum evacuationum ſanguinearum, ita neque medela differt, quam obtinemus interdum V. S. in brachio; interdum leni cathartico, ſaepius adſtringente, coagulante, ſtyptico ad anum admoto: hiſce irritis uſtionem, eroſionem vel ſectionem commendant nonnulli: ad omnia

nia autem haec non deveniendum, niſi urgens cogat neceſſitas.

3. Suppreſſo fluxu, nullus non morbus imminet: revocetur igitur per laxantia, ſtimulantia, hirudinesque neceſſe eſt.

4. Dolor vehemens debetur vel inflammationi, vel rodenti acrimoniae, vel nimiae vaſorum expanſioni; mitigatur laxantibus; eccoproticis; antiphlogiſticis; lenientibus; anodyno; diſcutientibus; camphoratis; ſaturninis; ſulphuratis; hirudinibus.

CAPUT LXIX.

De Tenesmo.

§. 1.

Tenesmus eſt frequens deſidendi

conatus, cum irrito vel parvo ſaltem effectu.

2. Cum ingenti ſaepe conatu, dolore enormi, ani prolapſu, febre, convulſionibus animi deliquiis ſaepe junctis, vel nihil excernitur, vel paucum; idque tunc vel pituita; vel tantillum foecum & utrisque his aliquando mixtum aliquid ſanguinis; bilis ſubinde vel ſana vel morboſa; ſanguis; pus; ichor; carunculae; aſcarides.

3. Eſt ergo motus ſpasmodicus inteſtini recti, ab immodicâ irritatione imae ejus ſedis.

4. Cauſſae vel haerent in ipſo inteſtino recto, vel extra illud; unde teneſmus idiopathicus vel ſympathicus; priores ſunt inflammatio; excoriatio; ulcus; acre quodvis; vermes; vulnus; haemorrhoïdes; diarrhoea; dyſenteria; aliena quaevis:

vis: poſteriores conſtituunt varii veſicae urinariae, urethrae, perinaei, inteſtinorum, uteri, vaginae, nervorumque morbi.

5. Nullius aliquando momenti eſt; ſaepe grave admodum malum; imo interdum lethale.

6. Cura differt pro variâ cauſſarum indole: in idiopathicâ nunc V. S. blande involventia, humectantia, mucilaginoſa; nunc detergentia, traumatica, balſamica; alias anodyna, vel antihelmintica conveniunt, variâ formâ applicanda: ſympathicus curatur, curato morbo, cui debetur; loci tamen adfecti ſimul ſemper ratione habitâ.

CAPUT LXX.

De Nephritide.

§. 1.

Nephritidos nomine venit omnis renum morbus; cujus quidem licet variae ſint ſpecies, harum tamen omnium communia quaedam ſunt ſymptomata: dolor in lumbis per ilia ad pubem diffuſus; tenesmus ad excernendam urinam; teſtis alteruter vel uterque ſurſum tractus; femoris dolor, ſtupor; nauſea; vomitus; ſingultus; ructus; borborygmi; alvus vel ſtricta vel ſoluta; urina morboſa.

2. Quae notari maxime merentur, ſunt, nephritis inflammatoria; pituitoſa; hyſterica; calculoſa: de tribus quidem prioribus hoc, de calculoſâ proxime ſequenti agetur capite.

3. Nephritis inflammatoria diſtinguitur a ceteris, dolore acuto, pungente lumbos; ſenſu ardoris; febre continuâ acutâ; urinâ flammeâ, parcâ, aliquando albicante.

4. Praeter cauſſas reliquis inflammationibus competentes etiam acria diuretica, & nati calculi in renibus, huc referri debent; eſt autem periculoſiſſima, & vel citiſſimâ morte per urinae ſuppreſſionem, vel gangraenam, aut lentiorem renis ſuppurationem, terminatur.

5. Ad curam mali requiritur V. S. ſaepe repetita; clysmata laxantia, refrigerantia; decocta emulſave antiphlogiſtica, nitroſa; remedia haemorrhoïdas provocantia, fomenta; linimenta; cataplasmata; balnea; ſemicupia; dein epiſpaſtica loco dolenti & remotioribus admota.

6. Nephritis pituitoſa dignoſcitur

ex temperie; ex praegreſſis; ex uriná albâ; viſcidâ; tenaci; abſentibus interim ſignis inflammatoriae & calculoſae: cauſſa eſt phlegma frigidum vaſa renalia obſidens: malum eſt lentum, quod paulo acriori diuretico; cathartico mercuriali, ſalinis, motu mechanico, & frictione optime curatur.

7. Nephritis hyſterica ex temperie, praegreſſis, urinâ frequenter copioſâ, limpidâ, abſentibus interim ſignis ceterarum ſpecierum; conditio morboſa conſiſtit in ſpasmodicâ conſtrictione vaſorum renalium: curanda antiſpasmodicis; opiatis; abſtinendo interim ab omni evacuante.

CAPUT LXXI.

De Nephritide calculoſâ.

§. 1.

Nephritis calculoſa eſt, quae oritur a materie calculoſâ renibus inhaerente, quam quidem in primis diſtinguimus ex materiae arenoſae excretione; ex urinâ cruentâ, membranis, muco, floccis refertâ; ex naturâ doloris; ex abſentiâ febris, ſaltem in initio; accedentibus interim ſignis generalibus nephritidos.

2. Calculum renalem producit elementorum, unde conſtat, excuſſio, mutua attractio, & concretio, ſive inter ſe, ſive cum obvio quodam corpore: elementa autem illa non mera terra, ſed, praeter hanc, etiam aquae, ſalis, & phlogiſti aliquid, accedente inſigni

materiae elaſticae portione, conſtituit.

3. Cauſſae remotiores ſunt omnes illae, quae lotio in renum vaſis aliquod obſtaculum, remoram quandam objicere valent; ut eorum laxitas, ſpasmus, contuſio, vulnus, ſuppuratio, preſſio quaevis, incaleſcentia, corpora heterogonea; quies autem, aetas puerilis, ſenilisque, temperamentum frigidum, abuſus acidorum & auſterorum, acor, hypochondriarum, hyſtericum & arthriticum malum, valde ad calculum diſponunt; atque adeo materiae, ut videtur, acidoterreae in urinâ juſto major copia.

4. Malum levius multum metuendum non eſt; gravius vero in inflammationem, ulcera, tabem, aliquando funeſtam urinae ſuppreſſionem abire deprehenditur.

5. In paroxyſmo id curandum, ut calculo exitus ex renibus per ureteres in veſicam urinariam procuretur; extra paroxyſmum, ut novi calculi geneſin praecaveamus: nephrotomia nunquam tentanda, niſi tumorem externum ſuppuratorium formari videamus.

6. Priori indicationi optime ſatisfit, tollendo omne illud, quod impetum humorum in renes & calculum augere, aut vaſa conſtringere, & calculo obſtaculum offerre valet; contra, laxando & debilitando vaſa, per V. S., emollientia interna & externa, atque opiata; vomitum interim moderatum non illico ſiſtendo.

7. Novi calculi geneſin optime praecavebimus, urinae ſtagnationem prohibendo; materiae acido-terrae in eâ exſuperantiam impediendo; & peregrina quaevis cor-

pora excutiendo; cauſſae interim attentâ ratione habitâ: diluentibus itaque & alcalinis, niſi ſymptomata prohibeant, locus eſt; ſed & prudens acidorum uſus, quatenus diureſin excitent, admitti poteſt; quam tamen evacuationem niſi promoveant, ab illis, utpote nocivis, abſtinere longe ſatius eſt.

CAPUT LXXII.

De Calculo veſicae urinariae.

§. 1.

Calculus e renibus per ureteres deſcendens, & in veſicam urinariam illapſus, eo ipſe momento ſaepe feliciſſime per urethram expellitur.

2. Frequentius autem praeſertim major, reſiſtentiam offendit; 1. in uretere, inprimis ad obliquam hu-

jus ductus in veſicâ inſertionem; 2. ad initium urethrae; 3. in ipſo illo canali.

3. In priora caſu V. S., diluentibus, oleoſis, fomentis, mollibus, cataplasmatibus, unguentis, balneis, ſemicupiis, cucurbitis ventoſis, quantum fieri poteſt, incarceratio illa curanda: in altero convenit aquoſa epotare, urinam aliquamdiu retinere, dein vi premere; admovere fomenta, cataplasmata linimenta prioribus ſimilia; in tertio, urethra laxari, intra calculum & veſicam comprimi, inflari, ſugi, & niſi tenaculis calculum prehendere liceat, diſſecari debet.

4. Exire negans ex veſicâ calculus mole augetur citius tardiusve, & nova ſymptomata creat, ex quibus diagnoſin calculi in veſicâ urinariâ conficimus; ſive jam illa ex renibus deſcenderit; ſive

ve in ipſâ veſicâ urinariâ fuerit generatus.

5. Sunt illa, inceſſus cruribus divaricatis; urina cruenta, purulenta, ſabuloſa, pallida, turbida, ejusque ſedimentum grave, craſſum, mucoſum, graveolens; ſenſus ponderis in hypogaſtrio; moleſtus in glande penis pruritus, cum frequenti membri erectione; dolor in excernendâ urinâ, dyſuria, ſtranguria, frequens iſchuria; urinae fluentis jam ſubita ſupreſſio; frequens ejus ſtillicidium; incontinentia; tenesmus alvi veſicae tenesmo junctus: quae quidem omnia in homine orto ex parentibus calculoſis, nephritide inprimis praegreſſâ ſuſpicionem calculi veſicae praebent; dum certior diagnoſis exploratione per digitum, ſed potiſſimum catheterismo obtinetur, non tamen ita certa, quin & aliquando fallat.

6.

6. Ex calculo in veſicâ relicto, veſicae inflammationes, ſuppurationes, ulcera, quibus dolores acerrimi junguntur, oriri debent; & ſic plerumque lentâ febre, tabe, atrophiâ miſerrimè conſumuntur aegri.

---

7. Educi calculus neceſſario debet, idque vel lithotomiae ope, de quâ Chirurgi conſulendi; vel ope remediorum lithontriptiorum, eum eo usque comminuentium, ut cum urinâ per urethram queat emitti: prior methodus, utut egregie exculta, omni tamen diſcrimine non caret; hinc diligentiſſimo ſcrutinio inquirendum in alteram illam.

8. Nec irritam omnino ſpem omnem eſſe credere licet, ſi, quid remedium *Joannae Stephenſiae*, quid aqua calcis, ſapo venetus, quid uva urſina, aliaque aliquando praeſtiterint, absque ullo praeju-

di-

dicio attentè & ſedulo examinemus.

9. Pro palliativo eadem uva urſina, involventia, oleoſa, eccoprotica, opiata, aliquando & V. S., valent.

CAPUT LXXIII.

De Ulcere renum & veſicae.

§. 1.

Ulcera renum & veſicae dignoſcimus potiſſimum, ex urinâ turbidâ, ſubalbicante, cruentâ, graveolente; ex ejus ſedimento purulento, membranoſo, aliquando & quaſi carnoſo; ex praegreſſis: quodnam vero viſcus aegrotat, ex iisdem praegreſſis; ex ſymptomatibus conjunctis; doloris loco; copiâ & qualitatibus; ex juvantibus & nocentibus colligimus.

2. Inflammationem, abſceſſum, contuſiones, vulnera, acria quaevis, ante omnia vero calculos ad cauſſas praegreſſas referre oportet.

3. Morbus hic difficillime ſanatur, inprimis in ſenibus, & calculoſis.

4. Cura conſiſtit in exhibendis talibus remediis, quae cauſſam mali tollunt; catharticis aliquando, vulnerariis, balſamicis, conſolidantibus; decocta lignorum, aqua calcis, aquae minerales, lac aſininum, uva urſina inprimis hic laudantur: in veſicae exulceratione immiſſi catheteris retentio, & injectio vulnerariorum accedere debet; ſpasmos exulceratas haſce partes multum vexantes opiatorum prudenti uſu mitigare oportet.

C A-

CAPUT LXXIV.

De Mictu cruento.

§. 1.

Cruor, qui aliquando mictu excernitur, an ex renibus, an ex veſicâ prodeat, ex doloris loco, ſanguine ipſo & ſymptomatibus, cauſſiſque praegreſſis, probabili conjecturâ aſſequi conamur.

2. Ad cauſſas praegreſſas pertinet, vis externa; calculus; ulcus, aliudve quodvis acre fibras vaſorum laedens; vel plethora; criſis; ſuppreſſio alîus evacuationis ſanguineae; rarefactio, majorve impetus ſanguinis; & quicquid praeterea oſcula vaſorum dilatare valet.

3. Locus adfectus, cauſſa mali, ſanguinis copia & indoles, mali pro-

prognoſin, ſaepe minus fortunatam, abſolvunt.

4. Cura jubet 1. cauſſas tollere; 2. vaſa aperta conſtringere; 3. ſanguinem forte coagulatum ſolvere, & expellere: prius fit, vel educto calculo; vel ſanato ulcere; involutâ & correctâ acrimoniâ; V. S.; reſtitutis evacuationibus; refrigerantibus: alterum per adſtringentia, & conſolidantia, quovis optimo modo ad locum laeſum proxime admota: tertium denique, diluentium mellitorum ope.

CAPUT LXXV.

De Dyſuriâ & Stranguriâ.

§. 1.

Dyſuriâ laborat homo, quotiescunque moleſte, nec ſine magno co-

conatu vel & dolore urinam reddit: ſtranguria eſt ille morbus, quo fit, ut aeger cogatur continuo urinam excernere, neque tamen niſi guttatim poſſit.

2. Cauſſa utriusque mali quaerenda eſt, vel in urinâ; vel in veſicae ſubſtantiâ; vel in ejus cavo; vel in urethrâ.

3. In urinâ; ſi quâvis de cauſſâ acrior ſit, qualem cognoſcere non eſt difficile, collatis ſimul praegreſſis: curatur temperantibus; diluentibus; involventibus; evacuantibus.

4. In veſicae ſubſtantiâ; ſi inflammata; tumore quovis vexata; excoriata; exulcerata; vel ſi mucus ei proxime adhaerens fuerit deterſus: priores morbi pro indole tractandi; mucum deraſum mucilaginoſa, ſubadſtringentia reſtituunt.

5.

5. In cavo veſicae; ſi in eo calculus, arenae, pus, ſanguis congrumatus, vel quodvis aliud heterogeneum contineatur; cujus vitii ſatis facile dignoſcendi curam ex antedictis petere licet.

6. In urethrâ; ſi quâvis de cauſſâ anguſtata fuerit; ſi diſtorta, excoriata, & exulcerata ſit: cura diverſa pro diverſitate mali, & plerumque ex arte Chirurgicâ petenda.

CAPUT LXXVI.

De Iſchuriâ ſpuriâ.

§. 1.

Iſchuriam vocamus, quando lotii excretio ſupprimitur, vel inſignem in modum minuitur; quod ubi fit ideo, quia nihil, vel perparum urinae in veſicâ contineatur ſpuria eſt.

 2.

2. Symptomata ineuntis morbi aliquando levia, ſed ſaepe jam ſatis gravia; ſuccedunt laſſitudo; levis febricula; ſitis; ſomnus turbatus; nauſea; vomitus; cephalalgia; anxietas; ſingultus; tumor corporis; foetor urinoſus; convulſio; ſopor; ſudor frigidus; mors.

3. Interim lumbi aliquando dolent; abeſt teneſmus ad exernendam urinam; nullus eſt in hypogaſtrio tumor, & catherere nihil vel parum admodum lotii educitur.

4. Cauſſae quaerendae in vitio renum vel ureterum, quod vel ſecretionem urinae impedit, vel quominus illa ad veſicam perveniat prohibet: ſecretionem autem impedit obſtructio; compreſſio; conſtrictio; inertia vaſorum in renibus: fluxum ſecretae urinae prohibent Bellinianorum tubulorum compresſio; obſtructio; cavitatis pelvis

abolitio, vel imminutio; ureterum obſtructio, compreſſio, coalitus; plethora autem, phlegmone, pituita, calculoſa materia, & vicinarum partium depravata conditio diverſiſſimâ ratione anſam huic malo dare poſſunt.

5. Morbus eſt periculoſiſſimus, licet aliquando mirum in modum ſibi proſpiciat natura.

6. Cura, pro cauſſarum inſigni varietate, multum admodum differt: interim V. S., clysmata laxantia, linimenta, cataplasmata, balnea, ſemicupia mollientia frequentiſſimum uſum habent; inprimis in plethorâ inflammatione, calculo, & ſpasmo: lenta vero pituita clysmata, fomenta, cataplasmata, epiſpaſtica & intus ſumenda paulo fortiora diuretica, motumque corporis mechanicum poſtulat, quorum omnium etiam in inertiâ fibrarum renalium inſignis uſus eſt.

CAPUT LXXVII.

De Iſchuriâ verâ.

§. 1.

Iſchuria vera obtinet, quando aeger urinam in renibus ſecretam, & a veſicâ urinariâ exceptam expellere nequit.

2. Adeſt ſenſus ponderis in hypogaſtrio, pube, & perinaeo; frequenter & tumor ſupra os pubis, qualis inprimis detegitur, immiſſo in anum digito; teneſmus ad urinam excernendam frequens; effluitque per immiſſum profundius catheterem lotium; ſuccedit, niſi ſolvatur feliciter malum, effluxus urinae ex umbilico; vel aneuryſma; inflammatio; gangraena, vel crepatura veſicae.

3. Cauſſae ſunt innumerae: haerent illae vel in veſicâ; vel in partibus veſicae vicinis: etenim veſicae ſphincter inflammatus vel conſtrictus; fibrae muſculares corpus veſicae perreptantes paralyticae & ultra modum diſtentae; ipſa veſica inſenſilis, calloſa, inflammata, exulcerata, cruſtâ calculoſâ, fungo, haemorrhoïde, aliove tumore obſeſſa; calculus; pituita; pus; ſangrumatus, totidem cauſſae ſunt, ad primam claſſem pertinentes, quae urinae egreſſum impediunt.

4. Ad alteram autem referantur, inteſtini recti inflammatio; infarctus; haemorrhoïdes; uterus foetu, ſanguine, aquâ turgidus, vel prolapſus; vulvae, perinaei, proſtatae, veſicularum ſeminalium, penis, praeputii talia vitia, quae vel collum veſicae, vel urethram comprimunt; ſpina vertebrarum & oſſa femoris luxata: in quarum cauſſa-

rum adeo diverſarum diagnoſi, ad curam adeo neceſſariâ, praegreſſorum; temperiëi; & phaenomenorum conjunctorum attenta contemplatio omnino requiritur.

5. Iſchuria vera minus acuta, quam ſpuria; differt autem periculum pro varietate cauſſarum, quae aliquando ſymptomatum mitigationem, aliquando plenariam morbi curam admittunt; licet fatendum ab alterâ parte ſit, etiam hanc non raro letalem eſſe.

6. Ubi malum diutius duravit, illico ad catherismum eſt confugiendum, immiſſaque fiſtula aliquandiu retineri debet; ceterum, ubi in morâ periculum non eſt, a V. S. clysmatibus, fomentis, cataplasmatis, linimentis, balneis, laxantibus vel & ſubinde leniter ſtimulantibus, quorum omnium ſaepe inſignis eſt efficacia, inchoandum eſt.

7. Quod ſi catheter immitti nequeat, unicum eſt in paracenteſi veſicae ſolatium; educto lotio, cauſſae quaevis pro ſuâ indole tollendae, dein roboranda debilior veſica fomentis; linimentis; emplaſtris; ſpirituoſis; corroborantibus.

CAPUT LXXVIII.

De Urinae incontinentiâ.

§. 1.

Urinae incontinentiâ laborat, cui lotium vel inſcio, vel invito ex veſicâ per urethram fluit; & quidem in priori caſu inſenſili, in poſteriori invitâ.

2. Eo in malo ſuperatur facultas, quâ retinetur urina: in inſenſili quidem, ex quâvis inpotentiâ fibrarum in muſculo veſicae oſtium compri-

mente; a paralyſi, vulnere, dilatatione, ulcere, calculo, vi in partu illatâ: in invitâ vero, ex ſpasmo, & contractione majore veſicae, atque preſſione majore vicinarum partium in eandem; hinc a ſpasmis hyſtericis, epilepticis, acriori urinâ, tuſſi, vomitu, graviditate, partu, haemorrhoïdibus, alvi egeſtione, calculo, menſibus erupturis, toties invita urinae incontinentia.

3. Inſenſilis ſanatur curando morbum, cujus ſymptomata conſtituit; ita & invita: inepta enim, quae hîc de ſpecificis circumferuntur: paralytico ſphinćteri vel inertiori medemur optime, per ſtimulantia, roborantia interna & externa; dum interim mali moleſtiae occurrere in ſexu ſequiori prudenti peſſarii uſu; in virili clauſtro, urethram comprimente, vel lagenulâ penem excipiente poſſumus.

CAPUT LXXIX.

De Diabete.

§. 1.

Immodicum urinae profluvium vocatur diabetes; qui verus eſt, ubi potus adſumtus celerrime non mutatus per urethram excernitur; ſpurius autem, ubi urina aquea, pallida, inodora, adſumta potulenta longe excedens emingitur; haec ſpecies illâ multo frequentior.

2. Spurii, (de quo ſolum agemus) diagnoſin offert incredibilis urinae emiſſae copia; ſitis ingens; oris ſiccitas; aeſtus; tabes; febricula, in initio quidem nulla, dein lenta; levis aliquando dyſuria; lumborum, teſtium, ilium tumor; pedum oedema; quae quidem ſymptomata plerumque mors, etiam

etiam ſemper non adeo lenta, excipit.

3. Obtinere in eo malo videtur disſoluti ſanguinis major ad renalia vaſa impulſus.

4. Cauſſae ſunt, potus aquoſi tepidi; diuretica; venena quaedam; bilis minus ſaponacea; ſuppreſſa excretio cutanea; athmoſphaera humida, veneris abuſus.

5. Cura mali jubet; 1. humores a renibus revellere, catharticorum non debilitantium uſu; 2. cauſſas tollere, quarum vi ſanguis diſſolutus eſt; nunc antiſepticis; alias amaricantibus; aliisve; 3. ſanguinem compingere; acidis foſſilibus; tum & iisdem illis, quibus 4. renum irritabilitas emendatur; qualia ſunt adſtringentia; corroborantia; aromatica; antiſpasmodica; diaeta interim ſicca ſit, & blanda.

CAPUT LXXX.

De Gonorrhoeâ ſimplici.

§. 1.

Gonorrhoea ſimplex eſt invitus, fere perpetuus, materiae albicantioris, ſubviſcidae, ex genitalibus flaccidis effluxus: mulierum leucorhoea idem morbus eſt, eâdemque curandus ratione.

2. Materia effluens in ſexu virili vel verum ſemen eſt aquoſius tenuiusque, vel per dilatata oſcula veſicularum emiſſum; vel eſt liquor proſtatarum, vel folliculorum urethrae: in leucorhoeâ, ex cryptis muciparis urethrae vel vaginae provenit.

3. Quicquid humores juſto reddit tenuiores, vel ſolidis partibus to-

tonum debitum adimit, easve deſtruit, pro cauſſâ mali habendum eſt; potus aquoſi tepidi; diuretica fortiora; multi morbi chronici; calor humidus, genitalibus admotus; diuturna in aëre humido mora; nimiumque veneris exercitium; ſimiliaque, huc pertinent.

4. Spurcum malum, chronicum, facile diſponit ad morbos multos, lentos, emungit hominem & extenuat; ſed & acutorum fomes eſſe poteſt.

5. Cura exigit, 1. ſeroſam cacochymiam emendare; 2. ſolida roborare; vel & 3. conſolidare: priori indicationi, (quam ſaepe optime implemus, implendo ſecundam) ſatisfaciunt expellentia, tum per vias naturales, tum per arte factas; ut emetica, cathartica, licet rarius; frequentius, diaphoretica; veſicantia; fonticuli; ſetacea; praeterea in-

inſpiſſantia; mucilaginoſa; balſamica: roborant ſolida, omnia aromatica; amaricantia; ſpirituoſa; adſtringentia; chalybeata; intus ſumta, & analoga remedia extus admota: laeſas autem partes conſolidant, traumatica, balſamica, ad aegrotantem locum proxime admota: diaeta interim ſicca ſit, blanda, bene nutriens.

CAPUT LXXXI.

De Lue venereâ.

§. 1.

Lues venerea (cujus origo nondum ſatis manifeſta) Europaeis demum ante finem ſeculi decimi quinti innotuit, in initio, dum primum apparebat, ferociſſime ſaeviit, & leviori de cauſſâ contrahebatur.

2. Hiſce ſymptomatibus malum hoc ſeſe diſtinguit: poſt impurum coïtum citius tardiusve ſequitur dyſuria; ſtillicidium ſeri, prius albicantis, limpidioris, dein flavi, viridis, aliquando ſanguinei, quod gonorrhoeam virulentam vocant; accedit frequens penis erectio, & ſenſus conſtrictionis; vicinarum partium inflammatio; puſtulae parvae, urentes, in ulcuſcula cava proſerpentia, cum labiis duris, abeuntes, in glande penis & praeputio, quas cancros venereos appellant; nec non phimoſis; paraphimoſis; bullae cryſtallinae; bubones venerei; teſtes indurati; porri; verrucae; quin & fraga; mora; fici; mariſcae; rhagades; fiſtulae, circa anum.

3. Sequuntur porro ulcera faucium, quae ſaniem ſtillant, proſerpunt, parteſque vicinas depaſcuntur; varia oſſa, inprimis tenuiora faucium, naſi, oculorum, carie

con-

conſumuntur; unde viſus, olfactus, & loquelae inſignis defectus; maculae oriuntur, puſtulae, ulcera per totam cutim; defluunt capilli; oſſium adeſt dolor, praeſertim de nocte; intolerabilis ſaepe capitis dolor; eorundem tumor, caries, ſpina ventoſa, inſignis fragilitas; glandularum omnium indurationes, exulcerationes; ſimilia viſcerum internorum mala, quae ſequuntur febres; lentae tabes; & miſera hominis miſeri, non ita diu ante ſaniſſimi, conſumtio.

4. Cauſſa materialis luis venereae eſt venenum, ab infecto homine, inprimis congreſſu venereo & lactatione cum ſano communicatum, cujus inde humores eodem prorſus modo degenerant: cujusnam vero naturae illud venenum ſit hucusque ignoramus prorſus.

5. Malum recens ſatis bene, in-

veteratum raro radicitus evelli poteſt; accedente viſcerum tabe res deſperata eſt.

6. Ut in curâ felicius verſemur, attendendum, tum ad ſingula ex praecipuis ſymptomata, quae luem confirmatam praecedunt; tum ad morbum provectiorem.

7. Gonorrhoea, cujus cauſſa ulcus eſt in genitalibus, loco diverſo haerens, requirit, ut effluens venenum educatur & ulcus mundetur; proſpiciendo interim ſymptomatibus; & cavendo ſollicite a minus citâ fluxus ſuppreſſione: V. S., antiphlogiſtica externa internaque prius; dein cathartica, valida quidem, non autem inflammantia, additis mercurialibus; tum diuretica, balſamica non acria, & detergentia fomenta, cataplasmata, injectiones praemitti debent: nec unquam adſtringentia adhiberi, niſi,

ſi, ex minuto fluxu mutatoque materiae colore, & abſentiâ ſymptomatum, ſatis certi ſimus, venenum omne eſſe expulſum, & vel tunc videndum, an non ſponte fluxus ille diminuatur.

8. Cancros venereos ſanant (praemiſſâ ſi vehemens urgeat dolor V. S.) purgantia mercurialia repetita; fomenta mollia, detergentia; unguenta mercurialia, leniora in initio, dein fortiora; habitâ tamen, ſi glandem occupant, ſenſilitatis loci adfecti ratione: phimoſin vero & paraphimoſin ſimilis V. S., & alvi ductio; fomenta, balnea, cataplasmata mollientia, diſcutientia, antiſeptica; operatio chirurgica.

9. Bubonis venerei a reſorbto veneno venereo & ad inguinales glandulas delato nati reſolutionem primo tentare, quam ſi obtinere non poſſumus, ſuppurationem pro-

movere oportet, intus interim datis iisdem remediis, quae adverſus reliqua valent ſymptomata; quorum etiam inſignis efficacia eſt, in teſte indurato, qui ab eâdem causſâ, reſorbto & huc verſus miſſo veneno, vel & inflammationi debetur, per ſuppreſſionem gonorrhoeae, natae, cujus reſolutionem per V. S. cathartica mercurialia, remedia externa antiſeptica, & antiphlogiſtica moliri oportet; quod ſi irrito fiat, ſuppuratio promoveri, & citò aperiri abſceſſus debet.

10. Confirmata magis lues largiorem poſtulat mercurialium uſum, quem externum alii, alii internum commendant; de interno, utpote nobis frequentiori, hîc agemus: plurimi ita adminiſtrandum eſſe judicant, ut ptyalismus ſequatur; alii contra, ut ne ſalivam moveat, quod in leviori morbi gradu, non ita in graviori ſufficere videtur.

11. Tentari itaque poteſt, an ſine ſalivatione *Plenkii* mixturae, aliove modo exſtincto mercurio crudo; an inprimis ſpiritui mercuriali *Swietenii* cedant ſymptomata; attendendo interim in determinandâ doſi, vel hiſce etiam in irritabilibus ptyalismum ſubinde ſuccedere.

12. Malum autem inveteratum ſi ſalivationem poſtulat, praeparato debite corpore, per diaetam blandam, aliquando etiam per V. S., & catharſin, ac loci calore bene temperato, optimum eſt mercurium dulcem inde a granis tribus, adſcendendo ſenſim, ad majorem copiam ingerere, donec ſalivatio oriatur, quae ſi non ſuccedat, videndum an diarrhoea, rigiditas vaſorum ſalivalium, tenaxve materia obſtruens; an forte ſingularis idioſyncraſia obſtet: in priori caſu quodvis obſtaculum pro variâ tolli debet indole: in altero, ſi paulo fortiori

ſialagogo exhibito non ſuccedat, urgere illam excretionem non licet.

14. Sputum tenax; halitus foetens; dentes vacillantes; linguae, genarum, gingivarum tumor, calor, rubor; glandularum ſalivalium intumeſcentia inſtantem ſalivationem demonſtrant, quae cito ſatis tunc ſequitur, & pro naturâ morbi & viribus aegri, augendo vel minuendo doſin mercurii, vel &, ſi neceſſe ſit, leve catharticum interponendo temperari debet, ita, ut vel unam vel duas vel & aliquando tres libras ſpatio viginti quatuor horarum ejiciat; mali autem intenſitas inprimis, & ſymptomatum felicior vel tardior imminutio, tum etiam vires aegri, an ultra tres quatuorve ſeptimanas cura protrahi debeat, determinant.

14. Oris interim ulceribus ſuccurrit collutorium lene mucilaginoſum,

ſum, tepidum; tandemque inhibendo mercurium, (quod plerumque ſufficit) ſiſti ſalivatio debet, vel lenioribus catharticis, quae certe finitâ ſalivatione aliquoties repeti debent; diaeta porro ſtrictior obſervari aliquandiu & frigus evitari; ac ſymptomatum forte remanentium poſt ſalivationem quodvis, pro ſuâ indole, tractari debet.

15. Reliqua auxilia quorum ſatis ingens exhibetur numerus, incertiorem quidem mercurio medicinam conſtituunt, nec tamen bene multis ex illis palliandi virtus denegari poteſt.

MORBI PROPRII SEXUS SEQUIORIS.

CAPUT LXXXII.

De vitiis excretionis menſtruae.

§. 1.

Menſtruorum retentio vel ſuppreſſio dicitur illud malum, quo ſit, ut vel eâ aetate, quâ ſolent, non excernantur, vel ex cauſſâ quâdam praeternaturali excerni deſinant.

2. Ex hocce vitio innumeri oriuntur morbi; tum in utero, quem obſtructiones lentae & phlogiſticae vexant, ſuppurationes, ulcera, ſcirrhi, carcinomata, hydropes, hydatides; tum in toto corpore, febres enim, cordis alii morbi, reſpi-

ſpirationis, aliarumque omnium functionum laeſiones, chloroſis, tabes, ſanguinis ex aliis locis & ſaepe quidem ex nobili viſcere expreſſio; imo vero tantum non omne mali genus ex hac excretione ſuppreſſâ ſequi quotidie obſervamus.

3. Cauſſae hujus ſuppreſſionis haerent, vel in humoribus uterinis, vel in vaſis, vel in utrisque ſimul; in humoribus, ſi nimia copia, motus nimius vel imminutus, conſiſtentiae majoris minorisve vitium peccet; in vaſis vero, ſi torpeant aut nimium reſiſtant, inde, quod comprimantur, vel conſtringantur, vel rigidiora ſint: praeterea & uteri & vaginae vulvaeque coalitio, vel per membranam plenaria obturatio inter eas referri quoque debet.

4. Malum hoc, quod non quidem ab initio, ſenſim tamen ſenſimque periculoſum corpori evadit,

pro diverſitate cauſſae diverſam poſtulat medelam, quam, ubi praeter naturam concreverunt partes genitales, ſaepe chirurgica ars adfert; vaſis autem juſto rigidioribus emollientia inprimis balnea medentur, poteſtque tunc V. S. in brachio inſtitui; quae quidem medicina juncto prudenter opiatorum uſu etiam valet in conſtrictione ſpasmodicâ.

5. Inflammatio uteri curam antiphlogiſticam internam externamque citiſſime applicitam requirit; ſola vero plethora ſi menſes ſupprimat, V. S. largiore in brachio inſtitutâ, decoctum leniſſime aperiens exhiberi poteſt.

6. Quod ſi cum torpore ſolidorum pituitoſa ſimul cacochymia in cauſſâ ſit, hujus excretionis ſuppreſſae tunc ſane alîus longe generis remedia extus & intus conveniunt; acriora nempe ſtimulantia, inci-

incidentia, etiam purgantia & emetica, mercurialia, chalybeata, ſimiliaque, quae lentorem attenuare & expellere, & ſolidis tonum reddere valent, quae interim, ut ſpecioſo emmenagogorum titulo ſuperbiant, in praegreſſis ſpeciebus vehementer nocent.

7. Nimia menſtruorum excretio intelligitur facile ex illis quae C. 37. ſunt pertractata; prorſus enim eadem circa cauſſam, prognoſin, & curam valent: ne autem confundatur cum haemorrhagiâ a vitio quodam uteri topico.

CAPUT LXXXIII.

De morbis Gravidarum.

§. 1.

Gravida ex plethorâ, quae oriri ne-

neceſſario debet, variis ſaepe ſanguinis excretionibus, cordis palpitationibus, tenſionibus mammarum, cephalalgiâ, vertigine, ſyncope, doloribus lumborum, inguinum, & femorum, dyſpnoeâ, aliisque vexatur incommodis, quae quidem V. S. in brachio, aliquando etiam repetendae, obſervatâ ſimul diaetâ ſtrictiori cedere deprehenduntur.

2. Ex mutatâ autem circulatione fieri aliter non poteſt, quin mire afficiatur ſyſtema nervoſum; unde inprimis derivari debet nauſea, vomitus, tuſſis, imaginatio depravata, appetitus vitia, animi deliquia, ructus, flatus, tremores, cordis palpitationes, ſpasmi hyſterici, quibus praemiſſâ, ſed in ſolis plethoricis, V. S. in brachio, ea quae ſine inſigni ſtimulo carminante & antiſpasmodicâ valent virtute, tum & ſuſpenſâ manu exhibita opiata medentur.

3. Ab expanſo utero dyſuria, alvus tarda, haemorrhoïdes, oedemata partium inferiorum, varices in iisdem, dyſpnoea, facilisque, mutato nunc gravitatis centro, lapſus; mitigari quidem quodvis ex hiſce ſymptomatibus, pro ſuâ indole, poteſt, tolli autem ante partum nequit.

4. Fluor uterinus vocatur haemorrhagia ex utero, nata a placentâ vel integre vel pro parte ab illo ſeparatâ.

5. Eo profuſior eſt plerumque, quo provectior eſt graviditas: cauſſae praegreſſae vero ſunt vehementes corporis concuſſiones; nixus violenti; contuſiones; humorum ex morbo praegreſſo major impetus; plethora; generis nervoſi inſignes turbae, calidorum quorumvis abuſus; nimia moles foetus, ſitus depravatus, agitatio.

6. Excretio illa ſanguinis, ſi parva ſit, aliquando feliciter per V. S., quietem mentis & corporis, medicinam corroborantem, adſtringentem, & opiatam compeſcitur; profuſior vero in praeſens vitae periculum gravidam conjicit, & extremitatum ligaturas, atque expeditam foetus per manum Embryulci eductionem requirit.

7. Abortus eſt excluſio foetus immaturi, ante ſeptimum a conceptione menſem; in eo uterus foetum, & quae ad foetum pertinent, expellit.

8. Cauſſa eſt ſublatum commercium foetus cum matre, cujus utero inutile pondus fit; cum vero illud a ſeparatione placentae oritur, patet, omne id, quod placentam ſeparare poteſt ab utero, ad cauſſas abortus pertinere.

9. Cum vero ſimillima placentae ſolutio in uterino fluore obtineat, illius cauſſae omnes huc referri quoque debent; quibus tamen non inconcinne ſummam matris debilitatem, mortuum foetum, atrophiam placentae, uteri irritabilitatem, vel & laxitatem, impeditam dilatationem addere poſſumus.

10. Inſtantem aliquando praeſagiunt praegreſſa; tempus quo ſaepius contigit; frigus abdominis; mammarum detumeſcentia, color faciëi lividus; dolores lumborum; abdominis, inguinum; ſanguinis ex genitalibus effluxus.

11. Aliquando parum mali ab abortu, ſaepe tamen inſignem in modum vires proſternit & morbos chronicos provocat peſſimos.

12. Sola hîc valet prophylaxis, non uno eodemque ſemper remedio ob-

obtinenda; V. S. etiam repetita aliquoties uſum frequentem habet, corpore plethorico, & cruore jam ex genitalibus promanante; contra ſi humorum adeſt defectus, ſolidorumve, torpor, tunc optime feminae per analeptica, corroborantia, adſtringentia proſpicimus: cuivis cauſſae cura accommodari prudenter debet.

CAPUT LXXXIV.

De morbis Parturientium.

§. 1.

Partus praeter naturam difficilis cauſſa, vel matri tribuenda eſt, vel foetui: ſi matri, conatuum ad partum adeſt vitium, vel in pelvi viſceribusque in eâ contentis obſtaculum eſt.

2. Dolores partus vel ſpurii ſunt, vel languent, vel plane deficiunt; ſpurii ſiſtendi carminantibus; oleoſis; opiatis; fomentis; clysmatibus: ſin langueant, vel deficiant, excitari debent, non tamen niſi juſto tempore, ſaepe quidem V. S. in brachio; ſed & ſaepe leviter ſtimulantibus, tum ore adſumtis, tum enematis formâ injectis; aliquando V. S. in pede, & levi oſculi uterini dilatatione.

3. Pelvis anguſtia, uteri ſitus perverſus, rigiditas, inflammatio aliusve morbus, vel infarctus veſicae & inteſtini recti, vel denique vaginae vitium, eam ſive pro parte ſive integram obturans, totidem cauſſae ſunt, ad alterum ordinem pertinentes; quibus quidem vel manus Embryulci vel oleoſa aut antiphlogiſtica remedia, aliquando catheteriſmus, ſubinde clysmata, aliave auxilia plus minusve facile medentur.

4. Foetus in cauſſâ eſt, ſi mole vel ſitu peccet, vel mortuus fuerit: mole peccat vel integri corporis, vel ſolius capitis; quo in caſu ars obſtetricia ſaepe ſine ſectione proficit nihil: ubi vero ſitu peccet, inhibitis conaminibus, & matri debito ſitu conciliato perverſum illum foetus ſagacis Embryulci opera feliciſſime ſitum mutat ſaepe, & ſic partum reddit maxime fortunatum, qui absque hoc auxilio vel matri, vel foetui, vel utrique aliquando fuiſſet lethalis.

5. Mortuum eſſe foetum ante partum ſuſpicamur ex cauſſis praegreſſis; nullis indiciis vitae; ſenſu ponderis inertis circa pubem, quod inverſo corpore huc illuc volvitur; ſenſu frigoris circa abdomen; animi deliquiis; horripilatione; mammarum detumeſcentiâ; pallore, livore faciëi; halitu foetido; alvi teneſmo; in partu certius illud novimus,

ſi

ſi nulla vibratio in umbilicalibus aliisve arteriis percipiatur; ſi diu elapſis aquis mater non pepererit; ſi epidermis a cute ſecedat, & caro, cutis, oſſaque fuerint mollia: qui quidem, ſi nondum ſigna putredinis adſint tutius ſibi relinquitur, donec natura eum expellat; ſin putredinem jam contraxerit, Embryulci manu, quod ſaepe non niſi cum ſummo molimine fit, educi debet.

6. Sed neque partus celerrimus ſemper fortunatus, haemorrhagiae & rupturae perinaei non infrequens cauſſa.

CAPUT LXXXV.

De morbis Puerperarum.

§. I.

Mox a partu ſaepe accidit hae-

morrhagia uteri, quae ſi a ruptura, certo lethalis eſt; ſin a vaſis non cito ſatis ſeſe contrahentibus, cingulo curari debet; quo etiam occurrendum eſt puerperarum ſyncopae, non minus certe periculoſae.

2. Tormina poſt partum oriuntur; vel ab alio foetu, aut ſecundinis retentis; vel a ſanguine congrumato; a tenſione partium praegreſſâ; vel ab inflammatione: binas priores cauſſas tollere prudentis Embryulci manus poteſt; aliquando tamen ſecundinas relinquere, quam multa moliri praeſtat: quae autem a ſanguine congrumato, utpote benigna naturae molimina, ſiſti niſi eo educto non debent: adverſus dolorem, ex tenſione, valent oleoſa, opiata caute exhibita, tum & fomenta, cataplasmata, clysmata: inflammatio partium lochia praeterea ſupprimit, de quo malo nunc ex profeſſo.

3. Lochia puerperis vel immoderata, vel parcius fluentia, vel etiam plane ſuppreſſa, frequentem morborum conſtituunt cauſſam; immodicum fluxum vaſorum laxitas excitare aliquando poteſt, cui, ſed prudenter, corroborantium uſu occurrendum; aliquando heterogenei quid, quod uteri conſtrictionem prohibet, exigit ſui eductionem; ipſum denique liquidum, quod rariſſime copiâ peccat, quo raro in caſu V. S. in brachio poſſet conducere; ſi tenuitas major foret, inſpiſſantia glutinoſa, leniter adſtringentia, & anodyna danda ſunt; ubi vero humores majori impetu ad uterum feruntur, pro diverſitate cauſſae illum intendentis vel V. S. in brachio, aliisque revellentibus, vel leniter ſtringentibus, vel opiatis, motus ille temperari debet; alîus autem evacuationis ſuppreſſio ſi forte origini huic malo dederit, illico illa revocari debet.

4. Imminutio vel ſuppreſſio morboſa lochiorum, quae oritur ſaepe, ſive a vaſorum uterinorum ſpasmo, obſtructione, vel auctâ reſiſtentiâ, aliove uteri morbo topico, ſive a materiae verſus alia loca determinatione, periculoſiſſima eſt, & ſaepe letalis, niſi eam alia quaedem evacuatio compenſet.

5. Pro varietate cauſſae, cura maxime differt, nocent tantum non ſemper calidiora; tutiora longe diluentia, laxantia, leniter aperientia, vapores, fomenta, cataplasmata, cucurbitae, epiſpaſtica, V.S. vel in pede, vel in brachio, prout tum cauſſa, tum indoles ſymptomatum poſtulat.

6. Si mulier infantem lactare nolit, vel mortuus ille fuerit, impediendum, ne lac in mammis generetur; quod fit illis remediis, quae vaſa uterina laxant; mammaria ro-

7.

borant; & impactam jam materiem attenuant.

7. Lactis defectus tribui debet, aut inopiae humoris ſani, ex inediâ, concoctionis vitio, vel immodicâ evacuatione; aut praegreſſo cuique morbo vires frangenti; utero gravido; mammarumque rigiditati vel obſtructioni: topica haec in mamnis vitia fomentis laxantibus, reſolventibus, & moderatâ earum frictione emendantur: prioribus causſis morboſis pro indole diverſâ occurrendum eſt.

8. Quod ſi vero lac abundet quidem in ſanguine, nec tamen ad mammas deferatur vel ex iis repellatur, peſſima ſaepe mala puerperae accidunt, externa & interna, pro diverſo loco, in quem fertur materia illa lactea, quae pro ſuâ indole ſunt curanda, ita tamen, ut ante omnia mammae ad receptionem lactis diſponantur.

9. Nimia lactis copia, valde noxia infanti, victu parco, perſpiratione & blandâ ſaepiusque repetitâ alvi ductione imminuitur: major vero ejus craſſities diluentem victum, reſolventia externa, & prudentem frictionem exigit.

10. Mammarum inflammatio, plerumque lacte ſtagnante orta, reſolventia & diſcutientia poſtulat, non autem admittit repellentia; ſed ſi vel ſic ſuppurationem minitetur promovenda illa eſt, & tunc aperiri abſceſſus debet, ubi bene maturus, non facile citius.

11. Papillarum dolor, qui ſaepe acutiſſimus eſt, vel ab inflammatione oritur; vel frequenter ab exulceratione, atque fiſſuris, quas matris cacochymia, ſaliva acris infantis, ejusve denticuli inferre posſunt: amotis cauſſis, moleſtiſſimo huic ſymptomati occurrendum, re-

fri-

ſrigerantibus, mucilagineis, balſamicis, talibus, quae infanti noxia non ſunt, vel ſi his utendum, papilla prius, quam infans admoveatur probe detergenda eſt.

CAPUT LXXXVI.

De morbis Vetularum.

§. 1.

Morbos vetularum illos vocamus, qui feminis inde oriuntur, quod menſtruus fluxus ex mechanismo corporis imminuitur primo, mox ſupprimitur.

2. Primarii ſunt haemorrhagiae, iuprimis uteri; inflammationes, ulcera, ſcirrhi uteri & mammarum, ſcirrhorumque in cancros converſiones; mala hypochondriaca & hyſterica; cordis vitia, aſthmata, hy-

dropes, tabes; imo vero, omne fere, tam acutorum quam chronicorum morborum oritur genus.

3. Qui quidem omnes debentur plethorae, tum topicae uteri, tum totius corporis.

4. Prognoſis ex cujusvis morbi hiſtoriâ ſatis facilis: cura optima conſiſtit in tollendâ cauſſâ; hinc therapeutici, ſed inprimis prophylactici vice egregie fungitur plethoram tollens V. S. in brachio inſtituta.

MOR-

MORBI PROPRII INFANTUM.

CAPUT LXXXVII.

De retentis foecibus, pituitâ, acido, atrophiâ & dentitione difficili.

§. 1.

Infantum alvina excretio impeditur, vel a materiae tenacitate; vel a viarum ſiccitate; vel, quod pejus ſaepe eſt, ab ano clauſo: binas priores cauſſas tollit clysma ſaponaceum, oleoſum, leniter purgans: ultimae aliquando arte chirurgicâ, aliquando plane non, occurrere licet.

2. Pituita frequenter in corpore infantili colligitur, quam ejus nutri-

trimentum adfert, nec vaſa reſolvere, propter debilem tonum poſſunt; reſolvenda igitur debitis remediis ſaponaceis, leniter purgantibus, vel ore hauſtis, vel per anum injectis; externis autem leviter aromaticis & ſpirituoſis vaſorum actio blande excitanda eſt.

3. Acidum frequentiſſima morborum infantilium, inprimis convulſivorum cauſſa, oritur ab aceſcente nutrimento, bile inerti & fibris laxis; enervatur, vel expellitur terreſtribus, oleoſis blandis, ſaponaceis, carminantibus, bilioſis, vomitoriis & purgantibus; cavendo ab acrioribus, ſed nec minus ſollicite ab opiatis.

4. Atrophia plerumque a diaetâ lacteâ, glandulas meſeraïcas coagulo obſtruente nata feliciſſime per aperiens quoddam martiale praeparatum, debitâ aetati doſi oblatum, ſanatur.

5.

5. Dentitio difficilis febriles ſaepe & convulſivos morbos infantibus creat, apice dentis erupturi gingivas irritante, & inflammante; alvus laxior, refrigerantia, lenientia, mucilaginoſa, gingivis admota, hirudines pone aures, phlebotome, prudens diſſectio gingivarum, opem hîc ferunt; convulſiones ſedant ſaepe paucae guttae ſpiritus cornu cervi multâ aquâ dilutae.

CAPUT LXXXVIII.

De Hydrocephalo.

§. 1.

Hydrocephalus eſt major in capite collectio materiae aquoſae; dividitur in externum & internum, quorum hic aetati infantili tantum non ſoli competit.

2.

2. Aliquando jam ante partum adeſt; aliquando in ipſo demum oritur; ſubinde, non niſi ſexto menſe poſt nativitatem; color capitis & totius corporis pallidus; capitis volumen & pondus lente increſcunt; languent functiones omnes; pulſus debilis, ſubinde celer; extrema emaciantur; urina parca, viſcida, pallida; dyſpnoea; motus difficilis, taedioſus; ſomnolentia.

3. In externo tumor capitis frequenter pellucet, mollis eſt, frontem inprimis & palpebras obſidet, abeſt ut plurimum dolor, niſi inter os & pericranium colligatur aqua; in interno capitis incrementum aliquando enorme eſt; aliquando tumor durior inaequabilis; ſuturae diſtant; oculi introrſum trahuntur; venae varicoſae fiunt; arteriarum in collo & temporibus conſpicua eſt vibratio; ſtillant lacrymae; viſus obſcuratur; dolor ſaepe major; acce-

ceditque frequenter ſpina bifida: differunt interim ſymptomata, pro diverſâ ſede, quae humorem colligit ſeroſum; quae quo profundior, eo diagnoſis ſaepe obſcurior.

4. Conſiſtit hic morbus in lentâ effuſione lymphae in hiſce partibus extra ſua vaſa.

5. Praediſpoſiti inprimis ſunt infantes, quibus temperies laxa, rachitici, ſcorbutici, venerei; hiſce vero inprimis nocet vis capiti illata; venarum jugularium compresſio; aër humidus & frigidus; alimenta humida, dyſpepta; nimia quies; ſomnus protractus; nimia evacuatio, & excernendorum retentio; inprimis exſiccatae imprudenter exulcerationes.

6. Uterque adfectus plenus eſt periculi; majus tamen diſcrimen in interno eſt.

8. Cura jubet aquas pellere, & novarum regenerationem impedire: prius tentari debet per purgantia hydragoga, habitâ ratione aetatis & virium; diuretica; ſudorifera; emplaſtra; veſicatoria; fonticulos; ſetacea; cauteria; ſcarificationem; tum & per illa, quae vaſorum tonum augendo reſorbtum vel diſcusſionem poſſunt promovere; ut ſunt ſacculi aromatici; vapores ſimiles; ſuffimigia; emplaſtra; cerata; linimenta; fomenta: ſternutatoria in interno noxia; trepanatio adeo incerta, ut commendare vix eam liceat.

8. Alteri indicationi ſatisfit per ea, quae cauſſas tollunt; atque adeo, nunc per varii generis evacuantia; alias per deobſtruentia; ſaepe per corroborantia, inter quae frictionibus multum debetur, atque faſciis.

CAPUT LXXXIX.

De Rachitide.

§. 1.

Rachitis morbus eſt ſolos infantes invadens, raro inde a nativitate, plerumque eos inter ſextum & vigeſimum quartum menſem corripiens; quem definire non niſi enarrando ſymptomata licet, quae diverſiſſima ſunt, pro variâ ſede, quam occupant, quae etiam in variis ſubjectis differre deprehenditur.

2. Acies ingenii rachiticis acutiſſima; caput magnum, in anteriora prolabens; pallor faciëi; colli vaſa magna; cerebrum poſt mortem ſaepe ſero plenum eſt, ejusque membranae fortius cranio adhaerere dicuntur; pectus macilentum acute prominet, coſtae ſunt nodoſae; ſpinae

dorſi curvatura morboſa; unde dyſpnoea, pulmonis concretio, obſtructio, vomicae, aqua & pus in cavo thoracis; thymus mole auctus.

3. Vivo infante abdomen inſigne quantum diſtentum, imo vero aliquando aſciticum deprehenditur; nec mirum, in cadavere enim hepar, lien, meſenterii glandulae, ceteraque viſcera plerumque volumine & pondere aucta, diſtenta obſtructa, imo vero ſcirrhoſa & carcinomatoſa aliquando inveniuntur: in artubus vero muſculi ſunt flaccidi, graciles; cutis laxa; vaſa itidem gracilia; oſſa latitudine augentur, & circa articulos nodis tophisque occupantur, incurvantur & ab epiphyſibus ſolvuntur.

4. Circa veram indolem morbi, ſive ſic dictam cauſſam proximam, nihil certi novimus; niſi unicum hoc, & ſolida peccare & fluida;

da; illa quidem inſigni laxitate, haec vero cacochymiâ frigidâ pituitoſâ; utraque ſaepe ſimul labe ſcorbuticâ, nec raro venereâ.

5. Praediſpoſiti ad hunc morbum inprimis ſunt infantes, qui ex parentibus nati ſunt cacochymiâ mucoſâ laborantibus; chronico morbo exhauſtis; genitalium debilitate, gonorhoeâ, leucorhoeâ, malo venereo adfectis; mercurio uſis; ex matre, graviditatis tempore malam diaetam obſervante, & frequenter abortum paſſâ.

6. Praediſpoſito nocent aër humidus frigidusque; lac nutricis cacochymicae; cibi humidi, frigidi; farinacea non bene vel recens fermentata; ſaccharata; piſces; fructus horaei; potus aquoſus calidus; intermiſſa exercitia; herpes; ſcabies repulſa; ulcera exſiccata; lintea ſordida, humida; vapor aquae

calidae natibus exceptus; balnea; unguenta, olea laxantia; mercurialia, ſaturnina extus corpori admota.

7. Taedioſiſſimum malum, haud raro funeſtum, certe non niſi poſt multas moleſtias ſanari novit.

8. Cura jubet 1. pituitam expellere; 2. mucoſam cacochymiam corrigere, & ſolida ſimul roborare: prius fit per purgantia ore hauſta, & ſi vires ferant, etiam emetica; tum & per clysmata; veſicatoria; fonticulos; ſetacea.

9. Alteri indicationi ſatisfaciunt amaricantia; leniter adſtringentia; antiſcorbutica mixtis vel interpoſitis catharticis; chalybeata; alcalina; frictiones ſiccae, calidae, aromaticae, ſpirituoſae; balnea frigida; oſſium curvaturae nonniſi prudentiſſime adpoſitis machinis compeſcendae.

10. Sed & reliquarum rerum non naturalium ratio habenda omnino eſt; aëre uti debet aeger calido, ſicco; ſoli frequenter exponi, & arenae ab eo calenti involvi; alimenta capiat ſicciſſima, minime pinguia; potus ſit parcus, generoſus; motus corporis per rhedam in primis conciliandus; veſtimenta ſicca ſint, lanea, bene munda; lectuli ſicci, duriuſculi, impleti vegetabilibus ſiccis antirachiticis, ſaepe renovandi.

CORRIGENDA.

Pag.	6.	*lin.* 4.	*lege*	profligando
—	10.	— 9.	—	reduci
—	26.	— 10.	—	cum vero prorſus pars illa emortua eſt,
—	30.	— 19.	—	ſalivatio, aphthae.
—	32.	— penult.		ſufficiunt
—	33.	— 6.	—	jamjam
—	52.	— 3.	—	convulſiones
—	—	— 15.	—	febris
—	54.	— 5.	—	tantum
—	56.	— 18.	—	ominatur
—	66.	— 12.	—	emeticum
—	69.	— 16.	—	aëre

CORRIGENDA.

Pag. 73.	*lin.* 5.	*lege*	dolorifica
— 79.	— 2.	—	arthritidemque
— 80.	— 17 & 18.		ſympathicam
— 83.	— 17.	—	laetitiae
— 88.	— 16.	—	temperiēi
— 103.	— 6.	—	hydrophobiâ,
— 113.	— 7.	—	aëris
— 117.	— 17.	—	impedita
— 118.	— 9.	—	prognoſi
— 122.	— 10.	—	φίμωσις
— —	— —	—	ἐκτροπὴ,
— —	— 14.	—	catarrhoſa
— 125.	— 12.	—	mucilagineis
— 130.	— 18.	—	deglutitionis
— 142.	— 15.	—	auctae
— —	— 21.	—	poſtulat,
— —	— 23.	—	exhibentur
— 160.	— 2.	—	vulnera
— 175.	— 15.	—	ad hunc
— 177.	— 15.	—	irregularis
— 197.	— 14.	—	ſympathicum
— 212.	— 24.	—	inveterata
— 225.	— 12.	—	anodynis
— 232.	— 9.	—	heterogenea.
— —	— 13.	—	hypochondriorum.
— 233.	— pen.	—	acido-terreae
— 234.	— 15.	—	Deo ipſo
— 235.	— 4.	—	In priori.
— 244.	— 12.	—	cathetere
— 247.	— 11 & 12.		ſanguis congrumatus
— 277.	— 24.	—	originem
— 278.	— 8.	—	quaedam
— 281.	— 14.	—	in primis
— 286.	— 11.	—	difficilis
— 288.	— 21.	—	atque